







Rare

coll. complete

OBSERVATIO FLVXVS DYSENTERICI LVGDVNI GALLO.

popullariter grassantis anno Domini 1625. & remediorum illi vtilium:

AVTHORE IOANNE DE LAMONIERE LVGDVNENSI, Vniuersitatis Monspeliensis Doctore Medico, inter Medicos Lugdunenses cooptato, & vtriusque Nosocomij Medico ordinario.

IN QVA PRECIPVÆ CIRCA Dysenteriæ naturam, & Curationem difficultates ab Authoribus vel omissæ, vel breuiùs propositæ dissoluuntur.

LVGDVNI,

Sumptib. Bartholomæi Vincentij, in via Mercat. sub signo Victoriæ.

M. DC. XXVI.

CVM PRIVILEGIIS.

PRVDENTISSIMIS NOSOCOMII LVGDVNENSIS DEIPARÆ MISErentis Rectoribus, Nobilibus Claudio Pellot, Domino de Sandras, du Port-Dauid, Consiliario Regio, & Generali Galliarum Thesaurario in Prouincia Lugd. Iacobo Moirou, clariss. vtriusque Iuris Doctori, & causarum eloquentiss. Patrono, Baroni de S. Triuier apud Dombas, Claud. Nauergnon, exconsuli: D.D Andr. Gueston, Eust. Rouiere, Petr. Colhabaud, Petr. Simond, Franc. Erard, Fr. Chappuis, Ant. Dulieu, Franc. Roy, Lud. Pyard:

Hanc de Dysenterico fluxu obseruationem
IOANNES DE LAMONIERE
Doct. Medicus D. D.

INTER plurimas duæ potissimùm causæ nos commouerunt, Rectores prudentissimi, vt vobis epitomen

 cura

curationis fluxus Dyſenterici ex
variis experientiis conflatam de-
uoueamus, & nuncupemus: prior
fuit, omnium, qui ſcripta in lu-
cem proferunt vetus conſuetu-
do, qui vel Principibus, vel Ma-
gnatibus, vel excellentibus viris
ea inſcribunt, quò ſuis operibus
maiorem authoritatem compa-
rent, aduersùs inuidos tueantur,
& obtrectantium ſpicula retun-
dant: quibus cùm noſtrum ſæ-
culum multùm ſcateat, è re no-
ſtra duximus ad vos Conciues no-
ſtros tanquam ad ſacram ancho-
ram, azilumque tutiſſimum con-
fugere, vt veſtræ authoritatis
clypeo tecti, zoilorum conatus
repellamus, & à maculis, quibus

opuſculum noſtris laboribus editum inficere tentarent, tueamur: veſtro tandem iudicio nonnullam in Medicina peritiam præferentes, aut conſecuti ægris plus vtilitatis conferre poſſimus; & ſanè officij id noſtri ratio expoſcebat, vt collectos in Noſocomij, cui, ingenti ægrorum commodo, præeſtis, hortis artis noſtræ floſculos vobis potiſſimùm oblatos, dedicatoſque vellemus. Quemadmodum enim eæ arbores, quibus Plato Hebræus hortos Eden conſitos fuiſſe ſcripſit, vt peculiari, ſic mi-

rabili facultate eos, quorum
fœracissimæ erant, fructus
non nisi Domino, & de-
liciarum suarum cultori de-
cerpere permittebant: alie-
nas verò rapacésque manus
auersis ramis aut declina-
bant, aut excutiebant; Sic
ex publico ægrotantium
domicilio tanquam amplis-
simo Medicinæ praxeos
campo primùm enatos fru-
ctus, illius Administratori-
bus & Dominis, vestræ pie-
tatis consortio delectati, &
æmulatione commoti, eius,
quem tanta cura colitis,
agri culturam nobis ex par-
te vindicantes, & sollici-
tudi

tudinis vos piè in hoc negotio agitantis, vt admiratores ſic laudatores, ſedulitati, diligentiæ, & aſſiduitati veſtrûm omnium debitos tanquam Vertumnorum noſtrorum aris ſacros appendimus, & munere veſtro quaſi litamus: vt ergo ex voto & officio ad vos feruntur & alios Patronos renuunt, illud omninò rogamus, vt has vigiliarum noſtrarum primitias in certum noſtrę erga vos, Rectores prudentiſſimi, tum iuſtę, tum debitæ obſeruantiæ ſymbolum ſerena fronte ſuſcipiatis, affectionumque

 veſtra

veſtrarum capſula incluſas contra odoris noſtri oſores defendatis: quod ſi feceritis, nos ad alia publicæ ſanitati non minùs vtilia, vel fortaſſis maiora prouocabitis.

AD

AD CLARISSIMOS, ERVDITISSIMOSQVE MEDICOS Doctores Lugdunenses IOANNIS DE LAMONIERE Collegæ præfatio.

OPTAMVS *discere & doceri, Collegæ clarissimi, tum vt conciuium, tum vt pauperum in vtroque Nosocomio laborantium saluti tutò prospicere valeamus; & eo tantùm fine prodit in lucem nostra de Dysenterico fluxu obseruatio, nuda quidem, & nullo lenocinio & fuco blandiens: sed vt nullius vestrûm syngrapha*

ambitiosè comprobata,ita ſingu-
lorum omniumque iudiciis exa-
minanda permittitur : ſuffra-
giis quidem veſtris illuſtrior
apud doctos etiam benè audiret,
& fulcro authoritatis veſtræ
ſuffulta nullius critici ſpongiam
pertimeſceret : quippe quæ non
alia quàm prælecta,depurata,&
omnibus modis perfecta in me-
dium proſiliret: verùm cùm in-
ſolentis ſit alienis laboribus ful-
gere , vobis inſciis , quæ de Dy-
ſenterico fluxu obſeruauimus, eo
potiſſimùm conſilio ſcriptis man-
damus , vt noſtra de illius natu-
ra & curatione ſententia ve-
ſtro examini , publicæ vtilitatis
bono , ſubiecta omnibus inno-
teſcat:

tescat: nec vllius siue artis nostræ imperiti, siue Medici censuram vereatur; ille insulsiùs reprehendens, nullum aliud à nobis quàm sutor ab Apelle responsum expectet; Medici verò contradicendi animo æstuantis feruorem, & impugnandi impetum si scribentis non docturi, sed docendi sana intentio nec temperare, nec reprimere possit; paululùm ipse remittat & coerceat, donec hæ nostræ lucubrationes vestra correctione, Medici doctißimi, à suis defectibus emendatæ aliàs in lucem, Deo fauente, proditura illi satisfacere possint: interim vt minor reprehensioni sit locus, monemus hanc

 obser

obseruationem ea serie exara-
tam fuisse, vt studio breuitatis
omitteremus multa, quæ passim
apud alios copiosiùs prostant;
ideóque de Dysenteriæ differen-
tiis tacuimus; partium affecta-
rum diagnosin vix attigimus:
in prognosi non pauca à nobis
minimè obseruata intermisimus:
authorum denique sententiis,
variisque citationibus opuscu-
lum nostrum ditare noluimus,
quibus videlicet docti non indi-
geant, indocti verò aut oneren-
tur, aut dum obseruationi tri-
buũt, turbentur: Hoc *tamen verè*
affirmare possumus, nihil à no-
bis scriptum fuisse, quod fre-
quenti certáque in multis ægro-
tanti

tantibus obſeruatione non conſtet, quorum nomina ſilentij velo inuoluta ſupprimuntur, quia ea commemoraſſe nullius videbatur eſſe vtilitatis: ſteriles verò in remediorum tum numero, tum formulis ex profeſſo fuimus, quia quæ paradigmatis loco propoſita ſunt, graſſantis Dyſenteriæ tempore à nobis præſcripta, abundè ſatisfacere viſa ſunt, cùm illorum ampla ſeges vbique ſuppetat: in variis demum opinionibus afferendis hoc ſategimus, vt illi quæ nobis probabatur, aſſentientes, alterius rationes conciſè diſſoluerenius, iis neglectis quæ ſolutionis facilis videbantur: etenim

metu

metu reuerſuræ Dyſenteriæ epidemicæ preſſi, hanc noſtram Obſeruationem, cui temporis anguſtia extremos eripuit labores, citiùs in publicum edidimus, vt veſtro Conſilio, Collegæ Doctiſſimi, prudentiores facti, proximo, ſi ita ſors mala tulerit, torminibus cruentis diuexato, commodiùs, & vtiliùs auxiliares manus adhibeamus: hic enim fuit terminus, & ſcopus præcipuus, ad quem vigilias noſtras præſenſque ſtudium direximus: tria autem recrudeſcentis Dyſenteriæ timorem incuſſerunt; vigens hyemis tempeſtas auſtris perflantibus ſæpiùs agitata, & ſucceſſiuo interruptæ

pluuiæ

pluuiæ delapſu frequentiùs abundans, & à natiua temperie deficiens: popularis illius cum cruore graſſantis Diarheæ adhuc perſeuerans impetus; & tandem (ſi Aſtrologiæ aliquid ſit concedendum) Solis Virginem peragrantis mala ab aliis aſtris affectio; quæ omnia minantur vel Dyſenteriæ propagationem, vel alterius morbi maligni ortum, qui vel fomitem circa inteſtina habebit, vel aliunde cerebro potiſſimùm emanans, partes abdominis peſſimè poterit exercere: quod an benè (quod abſit) coniectura aſſequamur, dum Collegæ Doctiſsimi tanquam æqui bonique iudi-

ces

ces cum tempore diiudicabunt; nos interim tam malum omen Deum optimum maximum ſua bonitate auertere ſupplices precabimur.

In

In Doctiſſimi Collegæ

I. DE LAMONIERE ABSOLVTISSIMAM de Dyſenteria epidemica diſſertationem,

CARMEN.

Dira lues Græcas debacchatura per vrbes
Aderat, Auerni ſæua progenies Patris:
Falceque peſtifera totum expletura furorem
Quatiens ouabat torua Tyſiphone facem :
Funera funeribus iam miſcebantur acerbis:
Iam pede propinquo mors premebat Hellada.
Aduentum monſtri ſoboles Aſclepia ſenſit,
Nîque prouideret ſubſecuturam ſtragem,
Quoq; animo Perſas oblatum & ſpreuerat aurum,
Pari fugandum publicum hoſtem credidit.
Fruſtra, inquit, noſtro Deus eſt in vtroque parente,
Et vtrumq; Phœbus ſtemma & ornat Hercules;
Si quas liquiſti furiarum maxima ſedes,
Feſtina, me vincente, non repetis cito.
Dixerat, audiuit Diua immitiſſima, & orco
Demerſit atrum victa ſubitò verticem.

Lætata

Lætata eſt grateſque habuit,ſtatu aque ſolemni
Promerita ſalua ſoluit Hellas præmia.
At tibi MONIERI, quid patria grata rependat?
Quam ſtare tutam non modo piùs iubes,
Sed tibi quæ ſeſe debet ſubtracta potenter
Luis cruentæ inſultibus,te vindice.
Regnabat furiale malum,nec fœdius vllum
Depaſta lacerat viſcera,& tabo inficit.
Corroſæ putri ſtillabant vlcere venæ ,
Minuſque Tityus quod querebatur fuit.
Ardebant vigiles oculi, liquefactaque membra
Vix obtegebat dura cutis & ſquallida :
Linguam longa ſitis,gutturque vredo premebat,
Nauſeaque ſtomachum turgidum ſingultibus.
Nulla domus luctu caruit, paſſimque cadentes
Hinc inde cives funus implicuit idem.
Te Pietas monſtro oppoſuit, patriæque ruentis
Conſerere dextram voluit haud recens amor.
Qualiter armatum quondam lernæa propago
Face iaculiſque exhorruit Tyrinthium ;
Te talem expauit tetra Hydra,atque omine certo
Mox ſuffocandæ,prælium exorſa eſt fuga.
Illuxit ſubitò noua lux, reuocata refulſit
Extincta fuerat viſa quæ publica ſalus,
Et monſtro ſubeunte orcum turba illa malorum
Vt ſocia, eodem merſa fonte euanuit.
Ne tamen aſſumptis graſſetur ſæuius olim
Viribus,& oris Gallicis infeſtior;

Arma

Arma quibus possit superari non modo profers
Illi edomandæ protinus fatalia:
Sed quibus arceri valeat, si quando fauente
Cœli solique perfido effluxu ingruat.
Sic quibus Alcides Troiam peruicerat armis
Vltus dolosi Principis periuria,
Græca cohors iterum Troas debellat iisdem,
Infestaque sibi sensit haud semel Ilium.
Tentarant opus hoc alij, sed risit Apollo
Studium precox frustraneaque molimina.
Ista, inquit, palma est MONIERI *sola, nec vlli*
Hæc dabitur olim doctius detexere,
Seu causas, seu signa libras, siue illa refundit
Quæ me monente, respicis, præsagia:
Siue ea præsidia aduertis, quæ sedulus arte
Animoque colligit sagax aut indicat,
Me scripsisse putes; adeo compta omnia tradit;
Sic elocutus abiit opifer Deus.
Aude ergo in meritum decus (optime) & ampla subinde
Meritaque longæ carpe præmia gloriæ.
Hippocrati statuam patria: at tua tot tibi ponit,
Quot salua per te capita capiet ciuium.

Ponebat in æternæ amicitiæ symbolum IOANNES-PETRVS BVGNET, Lugd. Doctor Medicus.

IN

IN TRACTATVM DE DYSENTERIA Doctoris Medici IOANNIS DE LAMONIERE,

EPIGRAMMA.

LAnguebat natura priùs, fusóque ruinam
Sæpe minabatur sanguine vena cadens.
Tormina vexabant diris cruciatibus aluum,
Et qui ferret opem nullus ἰατρὸς *erat.*
Mortis vbique pauor: tandem consultus Apollo
Dixit missurum qui mala nostra domet.
Hic vnus doctâ qui curet tormina dextra
Mors mortis, vitæ vita, salusque datur.

IACOBVS PELERINVS, Delphinas, Doctor Medicus, & apud Matisconenses practicus.

IN DYSENTERICAM IO. DE LAMONIERE Doct. Med. obseruationem,

EPIGRAMMA.

VT nuper putido cum sanguine vita fluebat,
Expetiere tuas publica fata manus.

Sic

Sic nunc dira mali monumenta, metumque futuri
Tollit & exiguus maxima damna Liber.
Vtque recens nostras vidit grassata per vrbes
Pestis, te hæc nobis scripta parare fugit.
Cladibus ex nostris sic magnum ducis honorem,
Et venit ex alui sanguine gemma tibi.
Quam tibi permulti debent, Liber, aspice lucem,
Et patriæ, patris docta secreta refer.
Vtque nouæ clades pariant noua scripta, libenter
Optarem morbos quos metuunt alij.

PETRVS GVILLEMIN, Lugdunensis, Doctor Medicus.

COMMENDATIO VICTVRÆ GLORIÆ D. IOAN. DE LAMONIERE, Doctoris Medici pro sua Obseruatione in epidemialem Dysenteriam Lugduni anno 1625. immaniter sæuientem.

DIra per innocuum morbi contagia vulgus,
Nupera Lugdiadum sparserat vrbe lues.
Natorumque, patrumque animas, iuuenumque, senumque,
Æquatâ, morti perfida, lance, dabat.

Quin

Quin aliis ſuper atque aliis ſubeuntibus umbras,
Vix locus in tumulos iam ſatis vllus erat.
Non ita, ſi noſtris faueant pia numina cœptis,
Natus Apollineo de grege dixit, erit.
Nec mora graſſantis cauſas ab origine morbi
Auxiliumque ſuæ repperit artis ope.
Vos quibus in votis & amoribus vna priorque eſt
Publica Lugduni Lugdiadumque ſalus;
Viuite ſecuri tantoque Machaone freti,
Stamina fatali ducite longa colo.
Hippocratemque nouum, veſtræque ſalutis amantem
De meliore (quod & ſperat) amate notâ.
Quin & Athenæo meditanti plurima veſtro
Tot date, quot meritus præmia frontis honos.
Hippocratique datam Coo, lue ſtante, coronam
Lugdæo, ciues plectite Lugdiadæ.
Vt ſtet vtrique decus merceſque ſimillima; quantum
Ingenij, tantùm laudis vterque ferat.

FRANCISCVS TIXERANDET,
Sequanus, Med. Doct. pangebat.

Peritiſſimo,

DOCTISSIMOQVE DOCTORI MEDICO, IOANNI DE LAMONIERE, in fronte Operis ipſius de Fluxu Dyſenterico, obſeruantiæ ergo appoſuit IOANNES CONDENTIALIS, Foriſius.

DYSTICHA.

Cedite iam morbi, redit Æſculapius alter,
Atque nouã ſobolem Phœbus in arte creat.
Atra lues abeat, fœdo quæ ex vlcere torquet
Viſcera; namque orbi ſubuenit alma ſalus.
Plaudite iam cuncti manibus, Monerius affert,
Qua genus humanum viuere poſſit, opem.
Fœda Dyſenteria excedas; tibi claua reperta eſt,
Qua nouus Alcides conteret vſque caput.
Orbis quas ergo tibi poſſet reddere grates,
Moneri, ignoro: reddet at ipſe polus.
Quas poſſum intereà reddo, dum fama futuri
Condignas reddet, iubare clara tuo.
Terrigenûm Omnipotens ſi vota exaudiat, inter
Cœlicolas (oro) nobile Sydus eris.

Lugdia

Lugdiadæ cuncti votis accedite nostris:
Dum vestra est isto Sydere tuta salus.

IN TRACTATVM DE DYSENTERIA Doctoris Medici Ioannis de Lamoniere.

Epigramma.

DVm mare per tumidum certant simul Eurus & Auster,
Motaque Stelliferum verberat vnda polum.
Non infesta modo deuitant æquora nautæ,
Sed qua sit discunt arte regenda ratis.
Sic cum tu medica clarissimus arte fluentis
Alui grassantem perniciem expuleris;
Non satis est factum tibi, ni præcepta relinquas,
Pelli iterum morbus queis queat exoriens.
Palladio vt Troës, tuti vt serpente Quirites,
Sic hoc Lugdiadum codice tuta salus.

St. M. Lugdunensis Causidicus.

OBSERVATIO DYSENTERICI FLVXVS LVGDVNI GALLORVM ANNO 1625. populariter grassantis, & remediorum illi vtilium,

Authore IOANNE DE LAMONIERE, *D. Medico.*

CAPVT PRIMVM.

De Dysenteriæ epidemicæ natura & causis.

NON fuere frequentes morbi Lugduni, anno 1625. saltẽ acuti & periculosi ad mensem Iulium vsque rarò afflixerunt: circa huius mensis finem cõtigit fluxus quidã alui

Historia fluxus.

populariter graſſans, difficultati inteſtinorum multùm ſimilis; in quo cum torminibus excernebãtur materię heterogeneæ, variegatæ, multúmque acres, candidæ, flauæ, virides, ſubliuidæ, nigricantes, ſpumoſæ, liquidæ, craſſæ, mucoſæ, & per interualla rotundæ, & in pilularũ ſubuiridium formam conglomeratæ, grauem ſpirantes odorem, comitem perpetuò ferè cauſantes febrem, continuam, vel intermittentem, duplicis tertianæ æmulam, & in pleriſque malignæ affinem, grauibus ſymptomatis ſtipatam, plùs minùs, pro diuerſa ægrotãtium diſpoſitione, in quorum maxima parte fluxus iſte potiùs diarheæ biliosæ, vel ſalſæ pituitæ ſobolis Dyſentericæ, quàm veræ Dyſenteriæ naturam, effigiémque oſtendebat: primis enim fluxus

xus diebus elapſis, in plurimis ſanguis pauca quantitate fluens ſponte ſiſtebatur, qui in Dyſenteria exquiſita ad ſtatum properante, copioſiùs prorumpere ſolet, eadémque paulatim ad meliùs declinante ſenſim pauciori copia fluit: non paucos etiam vidimus ne ſanguinis quidem guttam, alui fluxus iſtius tempore, excreuiſſe, & interiiſſe; impuberes præcipuè afflixit: illiſque funeſtior fuit, in maiores natu non æquè debacchatus eſt: mares plures fœminis exercuit.

Iunio finiente duorum curationem aggreſſi ſumus fœliciter; à quo ſubobſcurum incepit principium huius difficultatis inteſtinorum vſque ad Iulium durans, in quo nonnulli ægrotarunt: viguit autem maximè à principio Auguſti vſque ad

Tempora.

principium Octobris:pauci mẽ-
se Nouembri & Decembri, sed
grauiter fluxum illum experti
sunt.

Cadauerũ apertio.

Duorum cadauera curiosiùs
inspicere placuit, eorúmque
apertio subiecit oculis, quod
mens anteà conceperat, & Do-
ctores actuosæ Medicinæ non
contemnendi nobis relique-
rant: in vno repertum est he-
par sphacelatum,pariter & epi-
ploon cum inflammatione insi-
gni pilori & tenuium intestino-
rum propagata ad rectum vs-
que gangręna corruptum:septi-
ma die hic æger triginta anno-
rum Lugdunensis, gracilis, &
acrium humorum incineratio-
ne melancholicus interiit Au-
gusti fine: ipsum visitauimus
tertia morbi die,reperîmus cum
febre continua singulis diebus
post meridiem ferociente: de-
iectio

iectiones ſyncerę,mox nigræ cũ ſummo dolore & calore fluebãt: sãguis paucus modò permixtus, modò impermixtus aderat, qui duobus diebus ante mortẽ omnino ſuppreſſus eſt: lingua ſcabra, glaciale extremorum frigus & alia grauiora ſymptomata biduò ferè eandem præceſſerunt. In altero hepar ſiccum pallidumve conſpicuum fuit, ſimul & abſceſſus chyſtidis fellis pugni magnitudinem æquantis, prope iecinoris caua pus eructans; alius viſus eſt etiam in mezenterio: hic ægrotans quadraginta annorum, ruſticus Delphinas poſt Dyſenteriam imprudenter ruri ſuppreſſam, doloribus ventris per ſeptem hebdomadas continuis, & per breuiora interualla quotidie intenſiùs exacerbatis, interiit menſis Decembris initio: plu-

rium cadauera iuſtis rationibus moti noluimus aperire.

Cauſa. Huiuſce vulgaris affectus cauſa triplex fuit, externa, antecedens, & coniuncta; hæc fuit omnis humor acer & mordax, pituita ſalſa, bilis vtraque & cuiuſlibet humoris ſerum, ſeu ichor præter naturam factus & inteſtina exulcerans.

Coniuncta.

An ſanguis ſit cauſa. An ſanguis per ſe putreſcẽs & impermixtus Dyſenteriã verã creare poſſit, Doctores claſſici negant; contrarium tamen aſſerimus, quòd in variolis & febribus purpuratis, quæ vel ſunt ſynochi putres, vel ardentes febres, cruentam Dyſuriam, vel Dyſenteriam, ad mortem frequentiùs, ad ſalutem rariùs contigiſſe obſeruauimus; &, ſi portio ſanguinis putridi exteriùs expulſa cutem maculis inficiat, quidni eadem delabens ad in-

teſtina,

ſtina, eorum difficultatem parere non poterit, putredinis & acrimoniæ particeps? Ab eius ſaltem ſero acriori vel putrido, necnon eodem ſanguine huius vel alterius humoris permixtione præter naturam inquinato ſubortã in aliquibus fuiſſe difficultatem inteſtinorum, neminem ambigere putamus.

An ſolus humor putridus ſit cauſa.

Iam verò cùm humores multis modis præter naturam fiant, ſciendum ex opinione quorũdam ſcholaſticorum Medicinæ Doctorum, ab iis nunquam ſuſcitari Dyſenteriam, niſi aliquam putredinem contraxerint, aut alij humores putridi & corrodentes illis permiſceantur: Nos tamen putamus Dyſenteriam fieri poſſe non modò ab humore putrido, vel putredine alterius infecto; verùm etiam aliquando ab hu-

more tantùm acriori facto: ſicut enim bilis naturalis excrementitia, ſua acrimonia inteſtina vellicat ad quotidianas deiectiones mouendas, eorúmque mucum deterget: quidni bilis eadẽ, cæteríque humores acriores contra naturam redditi eadem inteſtina non poterunt exulcerare? Putredinis enim qua putredo effectus nõ eſt corrodere, ſed acrimoniȩ exaltatæ, cui debetur eroſio, quam acrimonia, deterſione ſumma parit; ſic ſcammonium incautè ſumptum non putredine, ſed acrimonia ſubſtantiam inteſtinorum vlcerat; & vinum recens minimè defæcatum tartaro ſuo Dyſenteriam nonnunquam parit, nimiúmque ſalſa linguam exaſperant, aphthaſque leuiores generant: aquæ etiam ipſæ thermales nitroſæ in corpori-
bus

bus gracilibus, ſyrio vigente ſtomachi eroſionem procreant, & anum pruritu leuiorique excoriatione vexant: nec ſemper opus eſt humorem putreſcere vt acrior fiat, cùm ex aduſtione bilis & aliorum humorum, generetur atra bilis, quæ à ſanguine ſecreta & vaſorum vel partium expultrice ad inteſtinorum aliquod depulſa, poteſt ipſum exulcerare: ipſa autem aduſtio non eſt putrefactio, ſicut pituitæ generatio confirmat, quæ communi Medicorum conſenſu generatur vel putredine, vel bilis amaræ permixtione, vel vlteriori coctione ſeu vſtione: numquid aqua ipſa coctione amareſcit, ſalſedinẽque contrahit? Tandem vlceris cauſa efficiens eſt eroſio, non putredo, ipſumque putridum vlcus vlceris differentiam, non

vlceris genus conſtituit.

Cauſa antecedens.

Vt autem cauſa coniuncta huius Dyſenteriæ fuit humor erodens, ſiue putridus ſiue non, dum actu exulcerauit inteſtina, ſic idem humor fuit illius cauſa antecedens, dum vel congerebatur, vel aliunde, hepate, liene, vaſis, capite, totóque corpore versùs ea fluebat.

Cauſa externa. Ex Aſtrologis.

Cauſa verò externa duplex ſtatui poteſt, vna ab Aſtrologis, altera à Medicis: illi popularis illius alui fluxus cauſam ſtatuunt, certam quandam conſtellationem, quæ menſibus illis contigit, & dominiũ habuit ſuper humores acres, ipſáque inteſtina; verùm quoniam non modò difficilis, ſed etiam incerta eſt Aſtrologiæ contemplatio, & ni fallamur, indicata conſtellatio nullam in dignoſcendis fluxus illius differentiis & cau

& causarum diuersitate, opem conferre possit, multò minùs in curatione perficiẽda quidquam vtile conducat, nec vllam certam de exitus varietate præbeat cognitionem, eam quidem non condemnantes nec contemnentes, peritis in arte iudiciaria, & iis qui altum cupiunt sapere, proponendam & ad amussim inquirendã deserimus: vt Medicorum more causam fluxus illius externam ex rebus euidentibus, & quæ sensibus maximè patent, deriuémus.

Aër causa generans.

Putamus itaque repetendam esse causam ex aëris constitutione anni 1624. & 1625. Illius anni Vere, æstate, & prima autumni parte, calidus & siccus ferè semper fuit aër huius regionis, vnde corpora humana multùm incaluerunt, & alimenta tum ex ipsis vegetabili-

bus, tum animalibus desumptæ similes acquisiuerunt qualitates, quibus Autumno penultimo & toto fere anno 1625. vsi sumus; & in nobis similes illis geniti sunt humores & excrementa; quorum acrimonia retusa & veluti sopita hyemis penultimæ tempore delituit, sub cuius decliuio, anno scilicet 1625. quandã passa sunt ebullitionem: calidus enim & humidus vltra naturam fuit aër extrema hyeme & primo vere: cessauit illico tamen feruor humorum reliquo Vere & æstatis principio, in quibus refrigeratum multúmque humectatum fuit ambiens ob continuas pluuias & flatus frigidiores, à quibus multiplices in corporibus nostris genitæ & accumulatæ fuerunt humiditates, ipsique humores feruentes alimentis
priùs

priùs ſumptis congeneres, paſſique antea ebullitionem, intus coërciti ſunt & varia cacochymia totum corpus infecerunt: ſuccedētibus æſtiuis ardoribus & flantibus ventis meridionalibus, cumulus iſtorum humorum denuò tum violentiùs agitatus, tum calefactus acrimoniam maiorem adeptus eſt, & partium, in quibus aceruatus fuerat, expultricem irritans coëgit ad humorum expulſionem versùs ipſa inteſtina.

Partes mittentes.

Iam verò inter partes irritatas & huiuſce morbi fomites frequēs fuit cerebrum, quod ex ſanguine alimentis acrioribus conſimili & ad illum delato plurimam congeſſit ſalſam pituitam, quæ liquata & acrior reddita vaporibus ex humorum in toto per æſtiuos feruores commotione & incendio ſublimatis,

matis, illique intra cranium permixtis, fluxit per venas, in infundibulũ, cęcósue ductus ad intestina, ipsorumque difficultatem cum febre produxit: cuius prænuntius fuit capitis dolor, grauitas, calor, faucium titillatio & asperitas, & nonnunquam circa collum & faciem leuior & fugax tumefactio in quibusdam apparens: ex venis verò ipsisque visceribus effluẽs humorum sarcina Dysenteriam cum febre, iactatione, vrinis, morbi potissimum principio, rubedine saturatis peperit.

Aliquando dederunt fluxui originem corrodentes humores circa mezenterium & intestina congesti; tunc ventris dolores lẽti & per interualla affligẽtes vno aut altero die Dysenteriam præcesserunt; nec febris subsecuta est, nisi conuocata

aliun

aliunde fluxione, aut purgatione neglecta, vel astringentium præcipitata sumptione iidẽ humores putredinẽ contraxerint.

Colicæ doloris obseruatio triplex.

Hîc commodè tres colici doloris obseruationes genus istud Dysenteriæ multùm illustrantes inserere consentaneum erit: Anno 1625. senem septuaginta annorum, robustum, & temperamento bilioso à natura donatum, colico dolore sub vesperam quotidie, sed grauiùs altero quoque die, affligente detentum; & virum circiter quinquagenariũ similiter, grassante Dysenteria, afflictum vidimus. In vtroque bilis pituitæ permixta, & in ipsis intestinis & abdomine obeso, multũque crasso priùs congesta colicum dolorem excitauit, & defectu potentis acrimoniæ validè non potuit expultricem irritare, nec

Prima.

Secunda.

suffi

ſufficienter pituitam deterge-
re, vt inteſtina vacua attinge-
ret, & exulceraret: poſt deci-
mum diem vterque omninò li-
beratus fuit doloribus; febris
nulla adfuit; viro venæſectio,
vtrique repetita per chola-
goga & phlegmagoga cathar-
ſis contulit, aliis pro re nata
conuenientibus remediis mini-
mè omiſſis: vltima die doloris
iniecto clyſtere acriori mota
fuit aluus liberaliter, maximè in
viro cum deiectionibus admo-
dum flauis, & ſerotinis horis
ſumpto hypnotico vterque
noctem totam ſopitus tranſe-
git, ſomnoque profundo reli-
quiæ humorum peccantium
diſſipatæ fuerunt, & ſani impo-
Tertia. ſterum vixerunt. Tertius iuue-
nis erat triginta annorum, qui
tertio quoque die doloribus
ventris non quidem atrociùs
ipſum

ipſum vexantibus occupatus, aluo ter mota ſtatim liberabatur: ſumpto bolo ex catholicone cum pauco diacarthami & rhabarbaro, manè die octaua octies deiecit pituitoſa, bilioſa; à cœna ſumpto ſomnifero & corpore pluribus quàm mos eſſet ſtragulis cooperto, dormiens ſudauit, nec redierunt dolores.

A toto autem tanquam à parte mittente cauſam Dyſenteriæ fluxiſſe tum ipſius magnitudo, tum cauſarum euidentium energia demonſtrare potuit.

Habitus corporis pars mittens.

Vt autem præcedens aëris conſtitutio fuit generans & productiua humorum acrium, ſic dantur etiam aliç cauſæ humorum carinam mouentes & ad inteſtina deducentes. Inter quas potentiores fuerunt tum

Cauſa mouens.

ſola

ſolares radij,quibus incautè capite plethorico vel cacochymo oppoſito , liquati fuerunt humores acres & vlteriùs calefacti pondere proprio corporis ſentinam appulerunt : tum frigus ambientis ; vnde qui noctu corpore nudo, aut negligentius tecto dormierunt , vel à ſudore ſe expoſuerunt ambienti liberiori , vix morbi impetum euaſerunt ; quoniam repulſi intus ſunt humores & fuliginum retentione conſtipata cutis anſam dedit ebullitioni vel putredini humorum acrium , quos partium expultrix ad corporis cloacam detruſit , impotens & veluti impatiens ferre eorum acrimoniam & orgaſmum. Obſeruauimus prætereà faciliùs correptos fuiſſe qui ſub dio conati ſunt diutiùs auram reſpirare frigidiorem ; nocuit enim noctur

nocturna deambulatio, tum frigore, tum aëris impuritate cerebrum replente, quibus duabus causis nox censetur isti inimica: aëris verò nocturni impuritas repetitur ex tribus, ex vaporibus multis & crassioribus à terra eleuatis & non dissipatis à sole declinante: à praua spiratione cadauerum quantumuis sepultorum, & ipsorum ægrotantium frequenti deiectione aërem de se vel per cloacas, magis per noctem inquinantium: tandem ex cæco & maligno siderum influxu, qui (si admittendus sit) non parum dependet ex luna, quæ in tali constellatione maligna, seu in illo astrorum Dysenterico concursu, si non multam habuit potestatem, eius saltem vires excipiens potenter nobis communicauit. Non sunt omittendi

Nox cerebro inimica.

di errores aliarum rerum non naturalium, qui variam dum produxerunt cacochymiam in humanis corporibus, quandam aptitudinem ad id morbi genus faciliùs ſuſcipiendum illis impreſſerunt: ſed etiam humores aliquãdo latentes commouendo & calefaciendo in pleriſque morbum produxerunt, vt plurimis exemplis confirmare poſſemus.

Contagium. A cauſarum quidem euidentium vi fluxus iſte originem traxit; ſed maximè per contagium propagatus fuit. Fuit autem contagioſus triplici contagij ſorte: communicatione vaporis lenti, viſcidi & putridi: aliqui enim qui procul fuerunt ab ægrotantibus & neminem Dyſenteria laborantem inuiſerunt,& cauſas mouentes euitarunt, fuere tamen correpti tormini

minibus illis vulgaribus : per anathymiaſim quoque , ſed propiùs communicatam laborarunt Medici, Chirurgi, Pharmacopæi & cæteri ægris ancillantes, tunc temporis Dyſenteria affecti: fomite in cloacis domeſticis vel ſellis perforatoriis, linteis, aliiſque locis relicto: tandem accubitu multi primis morbi diebus incautè correpti fuerunt. Ad contagij propagationem contulit multum ſympathia ægrotantium repetenda ex naturali & inſito temperamento: Vnde conſanguinei Dyſenterici ſibi affines inficiebant; & hac de cauſa prohibenda fuit conuerſatio & viſitatio , quæ fuit aliquibus funeſta & lethalis : & hæc fortaſſis præcipua fuit inter cæteras vna cauſa, propter quam famulantes Dyſenteria ægrotantibus , vt plurimùm

mùm immunes & liberi fuerint à tyrannide tã ſęuioris affectus; qui ſæuiit magis anno 1607. tũ propter auſtrinam conſtitutionem & pluuioſam magis, tũ ob copiam fructuũ horariorũ, qui nulli aut pauci anno 1625. fuerunt, à quorum vſu & eſu praui ſolent generari ichores & acres, qui malignam facilè ſuſcipiunt putredinem; tum etiam quòd multi qui paſſi ſunt Dyſenteriam anno 1607. aut alios grauiter afflictos viſitauerunt, alterius damno prudentiores facti, cautione vſi ſunt, ne Dyſenteria corriperentur, aut ea correpti ſtatim auxiliares Medicorum manus conuocarunt. Ratione etiam ſedis affectæ fuit mitior Dyſenteria anno poſtremo, quoniam hîc craſſa, illic, vt audiuimus, tenuia potiſſimùm inteſtina afflixit: illorum verò

Dyſenteria anni 1607. & 1625.

vlcera

vlcera & excoriationes faciliùs ſanantur, quàm tenuium inteſtinorum.

Quæſitu dignum eſt, cur obſeruata anni conſtitutio Dyſenteriã excitauit potiùs quàm aliud morbi genus? Et cur tunc graſſata Dyſenteria rectum, craſſaque lateris ſiniſtri ipſius abdominis inteſtina potiùs afflixerit? In ægris enim ferè omnibus dolor circa ſiniſtram hypogaſtrij & hypocondriorum partem fixus à tangẽte Medico deprehenſus eſt, & nobis ab ipſis ægris ſæpe ſæpiùs inibi indigitatus fuit, & pluribus hypocondrium ſiniſtrum doluit.

Q. an. 1. Dyſenteria c[...] git.

Sectę Aſtrologorum qui mordicùs placita tuentur Medici, ſic fortaſſis priorem difficultatem diſſoluere conabũtur, quòd malignus ille aſtrorum ſiderúmue Dyſentericus concurſus

Aſtro[...] opinio.

maxi

maximã habuerit poteſtatem, dum Sol Virginem peragraret, quæ inteſtinis præeſt : verùm donec validas in medium rationes attulerint, quibus probent certiſſiméque demonſtrent talem conſtellationem fuiſſe veram cauſam Dyſenteriæ, & pro diuerſo aſpectu vel mora cum Virgine, variis ſymptomatis ipſam ſæuiiſſe, nunquam illis acquieſcet animus multis irretitus ambagibus, quibus eum explicare nemo poterit, niſi clariùs & fuſiùs declarans energiam ſyndromes illius Dyſentericæ, ſequentium nodum diſſoluat: cur in aliis regionibus Virginis dominio non multùm vel minimè ſubditis, æquè funeſta apparuit, ac in prouincia Lugdunenſi? Quare in aliis ciuitatibus Virginis dominio non minùs ſubiectis, quã ſit Lugdunum,

num, nullo modo fuit popularis? Vnde à fine Iulij vſque ad vigeſimum tertium Auguſti non minùs graſſata eſt, quàm à vigeſimo tertio Auguſti vſque ad vigeſimum tertium Septembris? hîc Virginem, illic Leonem Sol à conſtellatione Dyſenterica nonnihil affectus percurrebat: nec minùs in fine Septembris, Octobriſque principio frequens fuit Sole non Virginem, ſed Libram decurrente:& quod mirum eſt,in fine Septembris non plures interierunt, cùm tamen Luna Dyſentericè cõſtellata tunc temporis Virginem deoſculata fuerit; & menſe Septembri ſub Virgine natos non citiùs Dyſenteria laboraſſe obſeruauimus. Verùm quare omnes morbi eo tempore non tranſierunt in Dyſenteriam,aut alij fuerunt præ-

ter Dyſenteriam ? Cur in aliquibus non Dyſenteria, ſed cruenta dyſuria contigit, ſi tanta fuerit vis conſtellationis illius Dyſenteriam producendi?

Opinio Medica.

His relictis & pluribus aliis omiſſis, ad Galenum noſtrum confugiamus, qui commentario vndecimi aphoriſmi libri tertij multa proponit quæ faciunt ad prioris dubij ſolutionẽ; quamuis diſparitas contigerit in hyemis temperatura, vt eo loci videri poteſt. Pro aptitudine itaque partium quæ offenſionem recipere natura aptæ ſunt, varij morbi contingere ſolent; aliæ enim aliis magis, aliæ minùs paſſibiles ſunt, ſecundùm corporum temperaturas: inteſtina verò naturæ inſtituto multis ſcatent humiditatibus; ideóque putredini (quam aëris conſtitutio producere poteſt) ſuſcipien

piendæ apta; & cùm reliquias excrementorum primæ secundæque coctionis recipiant, fit vt putrefacti serosi, acres, biliosique humores ad ipsa demandentur, & vlteriùs putrescant inibi detẽti, maximè in crassioribus, quæ sunt tenuibus humidiora & ignobiliora, vnde cæteræ corporis partes sarcinam humorum facilè in ea deposuerunt, prædicta anni tempestate, ipsaque semel dolore affecta vel vlcerata eos attraxerunt, aut faciliùs susceperunt: principiumque pútredinis plerumque incepit ab ipsis intestinis; coniecturale enim est, priùs incaluisse vel computruisse humores intestinorum & partium illis vicinarum, quod minùs difflentur ob loci profunditatem, arteriarum paucitatem, excrementorum abundantiam.

Si aliquando in hepate vel liene putredo primariò humores inuaserit, facilè ex situ & connexione facultas expultrix irritata eos in inteſtina propulſauit: vnde Dyſenteriam potiùs quàm aliam morbi ſpeciem excitauit humorum cumulus ex obſeruata aëris conſtitutione, alimentorumque conditione, priùs circa inteſtina aut partes illis vicinas congeſtus, commotus, calefactus, putreſcẽs; aut in aliis partibus factus & expulſus facilè in debilitata & multa ſaburra ſcatentia inteſtina proprio pondere decubuit. Partes autem ſiniſtras frequentiùs occupauit popularis Dyſenteria; an quòd ſint humidiores? an quòd ignobiliores? an quòd magna humoris pars circa lienem, cui colon annectitur, fuit congeſta? In iis verò qui per con-

tagium

tagium torminibus iſtis diue-xati ſunt, faciliùs eſt inuenire cauſam, propter quam partes ſiniſtræ hypogaſtrij potiùs affe-ctæ ſunt, eam repetendo ex na-tura & conditione miaſma-tum: corpuſcula enim iſta eua-porantia ex corporibus Dy-ſenteria primùm infectis, eo-rúmque excrementis, recti, co-lique inteſtini vlcerati ſordium multitudine, ichorúmue ex vl-cere reſudantium prauitate cõ-taminatis, analogia quadam no-xam potiùs intulerunt vltimis inteſtinis, craſſaque frequentiùs quàm gracilia afflixerunt.

Dyſenteriæ cauſa à militibus.

Hîc obiter notandum, non eſſe omnino reiiciendam opi-nionem eorum, qui ſtatuunt difficultatem inteſtinorũ huic prouinciæ fuiſſe communica-tam à militibus è bello Italico redeuntibus; in vtroque enim

exercitu plurium cruor Dysenteria magis quàm instrumentis bellicis ad mortẽ effusus est. Illud quidem obseruauimus, omnes in Nosocomio Lugdunensi Deiparę miserentis antea ægrotantes, fuisse correptos Dysenteria eo tempore, quo plures milites (quorum vix vnus immunis erat à Dysenteriâ) illud ingressi sunt: quare si non principium, saltem augmentum & propagatio Dysenteriæ militibus illis accepta referri debent.

Causæ dispositionẽs. Quoniam verò non omnes ægrotarunt Dysenteria huiusce terræ tractus incolæ, quamuis causis mouentibus expositi fuerint, inquiramus aliquam causam externam vel internam, quæ disponat corpora ad Dysenteriam faciliùs recipiendam. Ea varia est & multiplex; quarum prima sit intestinorum imbecilli

becillitas manifesta vel cæca: illa apparet in iis, qui ex leuissima causa etiam intra sanitatis limites sæpiùs alui lubricitate corripiuntur, aut quibus abdomen est gracile, vel qui intestina aliquo modo possident intemperata, aut aquis per tubulos plumbeos transfluentibus, & similibus vtuntur, quæ primo appulsu intestina prauè disponunt: Ista verò reperitur in illis, qui aliàs Dysenteria laborarunt, populari maximè & contagiosa: nam morbi venenati partes quas semel occuparunt, infirmiores discessu suo relinquunt, & suæ malignitatis caractere ita sigillant, vt talem, qualis ante morbum morbiue causam fuit, vix ac ne vix quidem possint sanitatem recuperare: non minori occasione Dysẽteria iis cõtigit, quibus partes

abdominis multiplici emphraxi obſeſſæ, variaque cacochymia infectæ fuerunt, & heterogenea humorum eluuie redundarunt: partes enim iſtæ morbis acutis humoralibus diuexatæ, ſæpe ſæpius propter partium connexionem & humoris ſitum, criticè deponunt in aluum cauſas morbificas: ſic etiam frequenter, vbi humores illic turgere incipiunt, eos nunc ſymptomaticè, nunc motu mixto, (vt quidam volunt) ſæpiùs cum morbi remiſſione in inteſtina depellunt: prætereà catarhoſi, & quos fluxio acrior ſolet exercere, ex leuiſſima cauſa fuſis vel agitatis in capite humoribus & per fauces in ventriculum & inteſtina deerrantibus, citò & funeſtè Dyſenterici euaſerunt: qui lue Hiſpanica infecti fuerunt, eiuſque curationem per

per mercurialia intus assumpta passi sunt, facilè in morbum illum popularem inciderunt, & nõnullos hydrargyrosis methodicè quantumuis vsurpata ad mortem præcipitauit, cruenta simul & semel irritata alui deiectione. Vidimus etiam aliquos conualescentes à fœdo illo morbo (qui potiùs Hispanicus, quàm Gallicus nuncupari debet) post eumethodicam & ordinariam curationem lethali correptos fuisse Dysenteria: tãdem purgatio quæcumque illis mensibus suspecta, & plurimis exitio fuit, attractis ex toto corpore humoribus in intestina, vel ad ea cathartico debilitata sponte defluentibus, eorumque substantiam exulcerantibus.

CAPVT II.

De prognoſi Dyſenteriæ epidemicæ, & vario eius euentu.

Dyſenteriæ exitus.

IAM verò, vt pro varia corporũ diſpoſitione cauſarumve violentia & errorum in victus lege commiſſorum diuerſitate, non vnica & ſimplex, ſed varia & multiplex Dyſenteriæ ſpecies & differentia fuit obſeruata: ſic non vnus & idem fuit illius euentus, ſed varius; aliquando trãſiit in aliam morbi ſpeciem, vt dolores articulorum, paralyſim, pareſim, apoplexiam, ophthalmiam, capitis dolorem, colli conuulſionem ſeu inflexibilitatem, & ſimiles affectus, tranſlatis ad cerebrum, neruos, ipſoſque artus humoribus, qui antea versùs inteſtina fuerant catarhopi, facti ſunt ana

anarhopi intempeſtiuo vſu incraſſantium, aſtringẽtium, narcoticorum, vini meracioris, & aëris iniuriis; vel ipſis humoribus intra vaſa cohibitis in febres malignas & ſingultuoſas, aliquando in tertianas intermittentes, rariùs in quartanam abiit; vel partibus naturalibus concluſi humores ſyſtrophicam produxerunt in earum aliqua vel pluribus inflammationem, quam tormina, cruciatuſque ingentes, gangræna variis ſtipata ſymptomatis, morſque tandem ſubſequebatur: nonnunquam ſuppuratione terminati fuerunt ſuccedanei abſceſſus, puréque affatim erumpente prauam & fœtidam mephitim in cor eructarũt, ſubitámque mortem induxerunt: quandóque Dyſenteria lienteriam, hydropem, atrophiam, maraſmum

inuexit: aliàs nimio effluuio mortem subitò accersiuit, sæpiùs salutariter defecit: quamuis enim contagiosa fuerit & maligna, malíque moris (quod inquietudines, iactationes, pulsus debilitas initio morbi apparens, papulæ in variis corporibus erumpentes, & syndromæ variorum & grauiũ symptomatum testabantur) non fuit tamẽ summè perniciosa nec multùm pestilens: vix enim decima pars ægrotantium interiit, imò plerisque salutaris fuit: nouimus enim vertigini & incipienti epilepsiæ obnoxios Dysenteria illa populari correptos & curatos, nunquam ad hoc vsque tempus insultibus illis vertiginosis, anteà frequentiùs inuadentibus, affectos fuisse: & quendam dolore lateris sinistri phlegmonoso per breuiora in-

terualla corripi ſolitum, fuiſſe eo liberatum acceſſu Dyſenteriæ illius popularis, à qua curatus nunc perbellè degit.

Fontes prognoſeos.

Diuerſos autem iſtos exitus licebat præuidere plurium animaduerſione, quibus velut manu ducebamur in illorum cognitionem: ea ſunt, res externæ, ætas, ſexus, temperamentum, habitus totius corporis & partium, cauſa morbifica, pars affecta, Dyſenteriæ ſpecies, morbi antecedentes, concomitantes, qualitates mutatæ, excrementa alui, actionum animalium, vitalium, naturalium diuerſa læſio.

Res externæ.

Rerum externarum cenſu hîc cõprehendere lubet aërem, contagium, diætam, remedia: qui decubuerunt in locis, quorum aër erat concluſus aut prauis exhalationibus inquinatus,

Aër.

graui

grauiter omnes laborarunt, eorumue pars maxima tormi- num iſtorum violentiæ ſuc- cumbentes crudeliter occu- buerunt; & propter hanc cau- ſam multi in Noſocomio Dei- paræ miſerentis, pauci verò ad- modũ in Noſocomio Deiparæ charitatis interierunt:hîc enim aër vndequaque flantibus ven- tis facilè difflatur, & à nullis cloacis inficitur: illic verò pro- pter ſitum loci & inficitur, & non ventilatur: ex his facilè detegitur error eorum, qui æ- ſtuante cælo detinuerunt ægro- tantes in cubiculis diu, noctu- que concluſis. Contagio affecti

Contagium.

variè affligebantur pro diuerſa ipſius contagij ſeu miaſmatis communicati poteſtate; qui cõ- ſortio militum alicuius labora- uit, grauiter afflictus eſt, & pa- ter moriens filiis, & filius eua-

dens

dens nonnunquam patri ſomitem ad perniciem reliquit. Cōtemptores rectè viuendi legis deteriùs habuerunt, aut perierunt, aut diutiùs ægrotarunt, aut in iis morbus in alias affectiones tranſiit. Remediorum contemptu, aut empyrico vſu multi perierunt: vix enim vigeſima pars eorum qui è viuis migrarunt, Medicinæ legibus ſe ſubiicere voluit, vel Medicorum aliquem tantùm conuocauit, dum iam præceps in mortis fauces rueret: importunè tamen & nimis curiosè pręſcripta remedia, maximè quæ palato ſunt ingrata & quandam ſtomachi ſubuerſionē ſapore odoréue poſſunt ſuſcitare, aut nimium calefacere, nōnullis fuerunt inutilia, ne dicam noxia; maximè ſi præſcripta fuerint ab iis, qui ſolo experimento, non

Diæta.

Remedia.

non doctrina, nec ratione ducti illorum curationem sunt aggressi; quales fuerunt ij omnes, qui analogismo ab iis, quos Medicinæ Doctores eumethodicè (vt eorum mos est) tractarunt, ad alios Dysentericos facto, iisdem indifferenter vsi sunt remediis; an bene? an malè? viderint. Scio non posse rectè nec vtiliter ab illis istud factitari, cùm ne Medicinæ quidem fuerint initiati: quomodò ergo Doctorum Medicinæ officio ritè fungi possunt, ipsámque actuosam Medicinam contemplatiuæ subalternatam & indiuiduam comitem, impunè exercere? Mirum itaque videri non debet, si plurimi remediorum multitudine obruti perierint; qui verò an Pseudomedici isti, an Doctores Medici confusa remediorum pluralita-

te delectentur, Lector iudicioſus diſcernere poterit:mercatorem mediocris fortunæ duos menſes integros, tum Dyſenteria, tum copia remediorum ab vno Pſeudomedico præſcriptorum ferè exanimem viſitauimus, tum precibus amicorum, tum charitate moti; vno & altero domi ipſius ægrotantis præſcripto remedio, ipſaque diæta immutata, decem dierum ſpatio à Dyſenteriæ impetu liberauimus, duabuſque poſteà elapſis hebdomadis domum ſanus egreſſus eſt. Particularem vniuſcuiuſque remedij noxam quodammodò detegemus, attingentes curationem: nunc ſolùm notamus, Dyſenteriã quæ contigit aſſumptione cathartici prçſeruationis gratia ſumpti, vt plurimùm fœliciter terminatam fuiſſe, niſi ſummè cacochy

Obſeruatio.

Purgatio.

chymum extiterit corpus: & in declinatione morborum purgationi arte factæ facilè ſucceſſiſſe Dyſenteriam(tanto enim deſiderio menſibus illis cacochymia quæuis leuiter commota vniuerſalem hanc totius corporis ſentinam affectabat) & nullo negotio pauciſque remediis triduo quatriduóue præterito, impetũ illius fuiſſe refractum, illamque cum euphoria & ſymphoria ſuſtinuiſſe ægrotantes; peccantes ſiquidem humores & coctos naturæ vis foras per inteſtina pepulit, & reliquiarũ morbi ſubſtractione, recidiuæ anſam reſcidit: primis verò morborum diebus catharſi celebratæ fluxum illum cruentum accidiſſe in aliquorũ perniciem nonnulli Pſeudomedicorum experti ſunt, & nos non ſemel conuocati multùm ſudauimus

uimus in temperandis illis torminibus ventris à cruda cacochymia ante tempus violenter ex toto rapta & ad inteſtinorum vacuitatem depulſa promanantibus.

Ætas. Pueri maximè periclitabantur, quia citiſſimè diſſoluuntur ob mollitiem, & ideo magna non facilè perferunt remedia, niſi debitè vſurpata; tum etiam quia minus morem gerunt Medicis: ſenes verò vix ſanari potuerunt à Dyſenteria; ſed ferè omnes vita priuati fuerunt, propter magnitudinem cauſæ, quæ in iis Dyſenteria affectis ſignificatur: nam frigidi ſicci non facilè generant excrementitios humores acres & aptos gignendæ Dyſenteriæ, & genitos ipſamque producentes præ caloris inopia regere ſufficienter non poſſunt: auunculus tamen

men noſter octogenarius, poſt quadrageſimum morbo ſalutariter defunctus eſt. Fœminę autem vt rariùs Dyſenteria correptæ fuerunt, ſic non plures vitam cum morte commutarunt; quia frigidiores & humidiores cùm ſint, ineptæ ſunt accumulandis facilè humoribus acrioribus, & ab his poſt pubertatem menſtrua periodo repurgantur: an verò conſtellationis illius Dyſentericæ vis maribus potiùs quàm fœminis funeſta fuerit, indagare poterunt, qui curioſiùs cœlorum poteſtates ſcrutantur.

Sexus.

Temperamentum.

Ílioſi ſanguinei grauiùs ægrotarunt, & citiùs interierunt, quàm pituitoſi: in his producta plerumque fuit Dyſenteria non multitudine bilis, ſed illius mora & retentione circa inteſtina à multo muco ibi latitante & conge

congeſto, ipſiuſque feruorem bilis temperante, & ab iſtius acrimonia partes inteſtinorum præſeruante, quibus duobus humoribus facilè vel ſponte, vel artis ſubſidio emundata inteſtina intra paucos dies ſolitas deiectiones reddebant; niſi error aliquis contigerit, aut diſpoſitione totius catarhoſa humores ex cerebro, corporiſve ambitu fluxus ipſius conſequutione ad inteſtina defluxerint, & tunc morbus longiùs protractus eſt, quia motionis illius præter naturam factę, & per notabile tempus continuatæ, non facilè fuit intercipere violentiam: frigore autem ſiccitatéque melancholicum vidi neminem Dyſenteria correptum; poſſe tamen corripi prouentus bilis quotidianus demonſtrat, ſi quædam aliæ mouentes & diſpo

disponentes concurrant causæ; humorum verò adustione melancholici eam passi sunt, aut subitò lethalem, aut diuturnam, quæ vel in tabem consumptione humiditatis; vel nimio effluuio debilitata iecoris facultate sanguifica, in hydropem: vel per propagationem labe ipsi ventriculo communicata in lienteriam transiit, à quibus vix vlla arte euadere potuerunt.

Habitus. Graciles maximè circa abdomen sicut artificiosam euacuationem difficilè ferunt, sic fluxu cruento & doloroso detineri non possunt, nisi cum magnis torminibus propter intestinorum exquisitum sensum, & cum euidenti periculo propter minimam illorum muco & pinguedine destitutorum resistentiam: qui natura vergebant

ad

ad phthyſim, aut diuturnè, aut grauiter laborarunt, & leuiſſimo errore commiſſo perierunt, fluxione acri ad pulmones conuerſa.

Morbi.

Infectos lue Hiſpanica, ſeu venerea ad interitum corripuit; iam iſtam paſſos, ad periculum, propter relictam in viſceribus virium debilitatem, non autem ſyphilidis aliquod veſtigium (non enim aſſentimur illis, qui volunt morbum hunc Hiſpanicum nullam recipere curationem, ſed inducias tantùm, non pacem facere) ad grauius quidem, ſi mercurialia, maximè chymica intus aſſumpſerint; quia prauam qualitatem inteſtinis imprimunt, & ad corruptionem facilè diſponunt; quòd in aliquibus longo illorum vſu defunctis docuit αὐτοψία.

Cauſa morbifica.

A congeſtione humorum or-

ta

ta & rarior & leuior fuit, quàm
quę traxit à fluxione originem,
& huius varius fuit exitus pro
humorum morbificorũ & partium natura, quas fluxio prælabens attingebat : fluente
humore per caua inteſtinorum
more diarheæ bilioſæ incepit,
gradibus à Galeno obſeruatis
diſtincta, minuſque lethalis fuit
eâ, quam humor per vaſa ad inteſtinorum ſubſtantiam fluens
genuit : ſalſa pituita à capite
prolabens ad inteſtina produxit lethalem vel diuturnam,
exulcerando vel inflammando
fauces, œſophagum, ventriculum, ipſaque inteſtina : à pituita, tormina contumaciora &
cõtinua ; à bilioſis & acrioribus
humoribus interrupta, magis
acuta & intenſiora fiũt: hi celeriùs permeant, ſed acutiùs pungunt; illa abradendo, ſeu corroſione

rosione adhæsiua lentè defluit: atra bilis omnium pertinacissima, adhærens continuò abradit, & per interualla ferociter lancinat, sicut in cancro exteriore vlcerato contingit: quoniam heterogeneam substãtiam possidet, crassam & tenuẽ summéque adustam & feruentem; vnde Dysenteria huius propago, calamitosa fuit. A miscella humorum prauorum fuit grauis.

Intestinum affectum.

Laborantibus superioribus intestinis maius periculum impendebat; quia ex maiori eorum consensu cum ventriculo, visceribus, corde & cerebro grauiora fiunt symptomata; tum etiam, quòd difficiliùs sanentur vlcera, quia magis membranosa, syncera adhuc excrementa suscipiunt, & facilè inflammantur ob venarum copiam & do-

loris trahentis vehementiam: omnibus verò inteſtinis læſis nullus ſeruatur. Inter Medicinę proceres diſputatum eſt, an quemadmodũ nullum eſt inteſtinũ expers huius ægritudinis, & quod ſeorſim aliquando non poſſit exulcerari: ita etiam ſimul & ſemel omnia inteſtina affici poſſint: Cœlius Aurelianus aſſerit priùs interiturum ægrotantem: contrarium tuetur Serapio. Doctiſſimus Mercurialis vtriuſque opinionem amplectitur, ſtatuens cum Aureliano omnia inteſtina ſecundùm totam ſubſtantiam vniuerſali vlcere non tentari: cum Serapione, in aliqua parte omnium inteſtinorum vno & eodem tempore poſſe reperiri vlcerationem: ratione duce poſſumus affirmare, inteſtina ſecundum totam ductus circumferen

An omnia inteſtina vlcerentur.

ferentiam vndequaque vlcerari posse; maximè si à toto corpore per patentes cęcósue meatus serosi humores, acres, putridi, orgasmum patientes, ambientis frigore subitò versùs intestina exprimantur, ipsáque vasa partésque internæ omnes calore æstuante peruiæ,& veluti nauseabundæ eosdem sine mora in eadem intestina euomant, à quibus tota intestina secundùm totum vlcerentur, inflammentur, vel intemperie afficiãtur, antequam mors paulò post sequutura contingat; maximè cum per id morbi genus æquè grauia & grauiora accidant; vt apertio cadaueris commemorata confirmat, aut exulcerationem cõtinuari posse, saltem secundùm totius ductus intestinorum vnicam dimensionem, longitudiuem vi-

delicet ad anum vſque,tum doloris ſitus in toto abdomine indicauit , tum modus agendi ipſius pituitæ ſalſæ priùs deſignatus perſuaſit,tum experientia mox recenſita confirmauit; ipſa etiam ratio conuincit, deſumpta tũ ex poteſtate fluxionis vniuerſalis ἄθροος in inteſtina decumbentis, tum ex natura vlceris Dyſenterici,quod excoriationi eſt ſimile ; vnde poſita cauſa excoriante & omnia inteſtina ſucceſſiuè attingente, non videmus quare leuiter omnia ſimul inteſtina ante mortem, abraſionem aliquãdo non patiantur,& vlcus in illis omnibus ſecundũ vnam dimenſionẽ non fiat ante mortem , quæ accidit doloribus, effluuio nimio, & inflãmatione, corruptionéue obſidente inteſtinorũ aliquod: non eſt enim neceſſarium omnia

omnia corrumpi inteſtina vlcerata, nec omnia vlcerari inteſtina, antequam æger pereat: verùm cùm iſta ſcriptis mandauerimus non docturi, ſed docendi, & ea tantùm quæ vel obſeruauimus in variis ægrotantibus, vel illis præſcripſimus, nunc in medium proponamus, non autem ex profeſſo tractatum de Dyſenteria aggrediamur, quem noſtris viribus imparem ſenioribus noſtris Collegis, D. D. Angelino Fornier Decano, Iſaac Connain Vicedecano, Hieremiæ Lanier, Pancratio Marcellin, Ioanni Delacloſtre, Ioanni Petro Bugnet, Philiberto Sarraſin, & Claudio Duboſt, qui contra cruentum & doloroſum alui fluxum in iſtis terræ tractibus populariter & ſatis frequenter graſſantem, ſæpiùs ſtrenuè pugnauerunt &

ipſum fœliciter oppugnauerũt, aut alicui eorum qui nobis ordine quidem omnes,non tamen doctrina inferiores ſunt, relinquentes, redeamus ad ea quæ obſeruauimus.

Dyſenteriæ ſpecies. Prima Dyſenteriæ ſpecies non eſt lethalis: ſecundus gradus ambigit & plerúmque in ægrotantis detrimentum declinat leuiſſimo errore ex parte aëris, ægri & adſtantium contingente: tertius gradus fuit ſemper exitioſus. *Febris.* Dyſenteria ſine febre curationis fuit facilis & ſæpiùs laborantes ſponte deſeruit; aliquando tamen propter latentem corporum diſpoſitionẽ aut cæcam aëris labem non contemni, ſed generoſis remediis tractari debuit,vt egimus in quodam chirurgiæ magiſtro artis ſuæ multum perito, qui in Dyſenteria apyretos,tentatus

tatus eſt nihilominus inſigni virium languore, oppreſſione, iactatione, cardialgia fugaci, priſtinumque viriũ robur tantùm recuperauit intra tres hebdomadas; temperato tamẽ, non ſuppreſſo intra primum ſeptenarium fluxus impetu: nec quiſquam iſtud miretur, cùm popularis iſte fluxus fuerit de genere morborum malignorum & peſtilentium: at ex Galeno ad litteram intellecto, peſtis poteſt eſſe ſine febre non modò euidenti, ſed etiam occulta, & interna; quicquid dicant claſſicorũ non infimi: ille cum febre inuadẽs periculoſior fuit, quàm accidens febri; & fuit minùs periculoſus, quò prouectiori febri acceſſit; quoniam humor vtcumque coctus per vias ſucceſſu temporis nonnihil apparatas à natura partim victrice

propulſatus fuit:bis febrem cõtinuam duplicis tertianæ typo regulatam Dyſenteria decimo quarto die contingens perfectè ad ſalutem iudicauit: ſuccedens lypiriæ, periculoſa admodum, ſed periculoſior quæ lypiriam ſuſcitauit, & in partium abdominis internarum aliqua genuit inflammationem, intra ſeptimum aut decimum quartum diem ægros iugulans, niſi forſan in abſceſſum abierit, qui funeſtus fuit in illo ruſtico multo poſt Dyſenteriam tempore ſubitò diſruptus: febris Dyſenteriæ craſſorum inteſtinorum ſuperueniens & durans, peſſimum fuit ſignum, magnitudinem cauſæ & propagationem ſerpentis vlceris innuens.

Facies Hippocr. Facies Hippocratica in pluribus morbi initio apparebat mortis minimè prænuntia, quia

ſobo

ſoboles erat cauſæ manifeſtè molem corporis imminuentis, perſeuerans mortis proximę vel tranſitus in maraſmum indicium fuit.

Frigus extrem.

Frigus extremorum fuit lethale ſignum, & neminem liberatum obſeruauimus, ſi ſimul lingua nigredinem contraxerit, præter puberem quẽdam, quem multa cum febre vexatum torminibus ſexta morbi die viſitauimus; initio morbi vnum aut alterum vermem deiecerat, & tandem poſt remediorum externorum & internorum plurimum vſum, decima tertia die ſurſum deorſúmque lumbricos numero ſex excreuit, & ab eo tempore rarior fluxus & tormina minora fuerunt, dieque vigeſima omninò ſuppreſſa; paulatimque poſtea conualuit.

Vt autem Dyſenteria eſſen-

tiam suam à cruore excreto, dolore, partéque affecta trahit; sic etiam ex horum trium varietate potissimam exitus diuersitatem nanciscitur. Loci affecti natura quid possit, superiùs est annotatum. Dolor vehemens, diuturnus, remediis minimè cedens, cum caloris sensu, magni incendij signum & gignendæ breuì inflãmationis tegmirium fuit; si simul Medici hypocondria de more blandè contingentis manum ægrè sustinuit æger, leuiorique appulsu dolor auctus fuit, genitæ, & cum abdominis tensiua necnon dolorosa eleuatione, iam ad gangrænam properantis certissimũ extitit indicium, mortisque præludium. Cruoris parua quãtitas in paruo morbo laudabilis, in magno febrique iuncto periculosa semper fuit, eiusque

Dolor.

Cruor.

subi

ſubita ſpontaneáque ſuppreſſio
alui fluxu non deſinente letha-
lis: copioſior tamen quantitas
vires debilitans non ideo ſalu-
taris cenſetur: debuit enim eſſe
mediocris & permixtus cum
aliis per aluum excretus ſan-
guis, quibus innatans & imper-
mixtus, eroſione magna, vel va-
ſa, ſi ſplendidus & ruber; vel
inteſtinorum ſubſtantiam, ſi
velut concretus, nec facilè mo-
tu, aut ſtylo ligneo ſecabilis
fuerit, affici ſignificauit & ſem-
per fuit interitus prodromos:
huic permixtioni non fuit ita
fidendum, vt aliorum excreto-
rum conditionem contemplari
dedignaremur: ex ſe quidem
bona eſt, ſaltem non mala, ni-
hilominus ea apparente non-
nullos perituros pro excreto-
rum aliorum conditione certò
prædixerunt Medici adſtanti-

bus illud minimè expectantibus: quoniam pessimum vnum prognoseos signum præualet multis aliis non malis, bonis & aliquando aliquot optimis.

Excretũ laudabile Dysenteriæ.

Quare obseruatione docti dicimus, in isto morbo populari excrementum laudabile seu denotans morbum salutariter terminandũ, sequentibus fuisse dotibus præditum: fuit mucosum, sero non pauco dilutum, paucæ bilis permixtione tinctum, sanguinis mediocri quantitate exactè perfusum, per longiora interualla sine magno calore, vel dolore excretum, non grauiter olens, nulla aut parua febre comitatum: à quo quoties excretiones Dysenteriæ illius epidemicæ defecerunt, toties periculosæ, & quò magis defectuosæ, eò maioris periculi plenæ fuerunt; quod manifestum

ſtum facimus relatione excretionum variegatarum, ſyncerarum, nigrarum, purulentarum, verminoſarum : nam ſingulas deiectionum differentias in variis difficultate inteſtinorum ægrotantibus à nobis obſeruatas hîc annectere ſuperuacaneum cenſemus.

Variegatæ deiectiones.

Quamuis laudabile ſeu non funeſtum in Dyſenteria excrementum non ſit homogeneum, ſed plurium ſyndrome conflatum, non tamen variegatum & καθ' ἐξοχὴν heterogeneũ à nobis nominatur : ſed benè illud, quod conſtat omnium humorum vel plurium contra naturam concurſu, & grauem ſupra modum ſpirat odorem putredinis, vel ſummæ cruditatis ſequacem : duobus verò modis alui deiectiones variegatæ fuerunt, vel ſimul, vel ſucceſſiuè,

variis prauiſque confluentibus humoribus; illæ periculoſiores fuerunt iſtis, ſummæ perturbationis aut multæ cacochymiæ ſignum.

Sincera. A ſinceris deiectionibus, id eſt, bilioſis, ſero nihil aut parum dilutis & multùm erodentibus, ſtatim inteſtinorum pinguedinem deraſam, & in fruſtula diuiſam, paulò poſt membranoſam ſubſtantiam eroſam, & per portiunculas excretam fuiſſe cum certo ægrotantium detrimento licuit obſeruare: nullus enim cum eiuſmodi deiectionibus triduo quatriduóue fluentibus, ob hepatis vel inteſtinorum gracilium ſummum incēdium, & vlceris depaſcentis naturam, potuit ſaluari.

Nigra. Deiectiones nigræ (quæ ſub ſinceris deiectionibus poſſunt comprehendi ſero deſtitutæ; nam

nam omnis humor acris & ſuo ſero priuatus per aluum fluens, ſinceræ deiectionis parit differentiam) ſolo nomine, laborantes, adſtantes, & plerumque Medicos terrent, qui ſtatim animo reuoluunt ſenis ſententiam, Dyſenteria ab atra bile incipiens lethalis eſt, & pluribus in locis eiuſdem nigras deiectiones (niſi à medicamento procedant) damnantis authoritate nitentes prognoſim illico ſtabiliunt funeſtam, & minantur θανάσιμον: contrarius tamen euentus in iſto alui fluxu aliquando contingens prædictionem eluſit; in nonnullis, qui ſanitati reſtituti ſunt nigras conſpeximus deiectiones; quoniam poteſt fieri, vt atrabilarius humor conſequutione quadam propter continuum omnium humorum ad inteſtina fluxum

(par

(partes enim corporis noſtri data occaſione excrementa & humores inutiles facilè deponunt in partes ſibi vicinas & debilitatas) per aluum effluat, nō autem ab vlcere manet, nec ipſum producat; & quamuis tranſitu ſuo nonnihil vlcus exaſperet, non tamen vlcus cancrodes efficere poteſt per caua inteſtinorum prolabens: ad huius enim generationem fluit humor per vaſa ad partes aduſtus, earúmque capillaria diſtendit, & procreat vlcus multis ramis & radicibus tuberoſis partium ſubſtantiæ firmiter adhęrens: quòd ſi melancholiæ ſucceſſiuè prodeuntis permixtione nigrę fiant deiectiones, non eſt valde metuendū, quia humor nō erodit: Ex vtriſque tamen nihil boni ſperandum, quia ſunt ſignum ſummæ agitationis, & veluti
con

concuſſionis humorum omnium versùs inteſtina.

Pus apparens in vlcere quidem exteriori laudabile eſt; in Dyſenteria verò malum, adiunctam plerúmque inflammationem, quæ abſceſſu terminata fuit, ſignificat, vel pituitæ ob vlceris conditionem vel prauam inteſtinorum diſpoſitionem putrentis ſoboles eſt. In tribus purulentas excretiones conſpeximus; primus fuit ciuis quidam Lugdunenſis annorum 47. hic Dyſenteria curatus, iterum eadem corripitur propter victus errorẽ & quòd citiùs aëri ſe expoſuerit; pluribus poſt recidiuam diebus conuocati, hominem reperîmus, cum pulſu admodùm debili, quodam per interualla cardialgias ſenſu, & excretis purulentis; aduocauimus conſilium duorum Medi-

Purulenta.

corum

corum seniorum; tum ipsius rei magnitudine moti, tum maximè, quòd nobis insciis bis hermeticum sudorificum & semel emeticum sumpsisset: vnius eorum, nostráque sententia iudicatum est, fuisse verum pus; quia erat album, læue, non multùm fœtidum, nec inæquale in substantia & colore, minimè viscidum, & quod stylo ligneo facilè diuidebatur ex recti intestini vlcere cũ fæcibus vel sine illis excretũ statim post doloris vrgentis aculeum: alterius opinio fuit, verum non fuisse pus, sed materiam pituitosam, purulentam, quæ vlteriori pepasmo puris veri naturam aliquando repræsentat; intra decimum quartum diem sequentem melius habuit, solitáque exercere incepit negotia, & imposterum diætæ & naturæ reliquam curatio

rationem commiſimus; vtriuſque beneficio intra paucas hebdomadas liberatur, & ſanus ad hoc vſque tempus viuit: Alter etiam fuit ciuis Lugdunenſis annorum octo ſupra quinquaginta, quem à ſeptem hebdomadis ægrotantem inuiſimus, & inuenimus cum febricula, vigiliis, debilitate virium ſatis magna, dolore tibiarum, vtriuſque genu tumore aquoſo, flatulēto, doloroſo, purulentis alui excretis, ſeu excretione pituitæ putris, valde ſimilis ei quæ per anacatharſim reiicitur, dum catarhus in pulmones delapſus maturari, coquique incipit; mēſe ianuario, diſſipato tumore genuum, ſomno & appetitu redeuntibus, placatis doloribus, anilibus progredi incepit; & menſe Februario modò ſolus, modò cum ſcipione inceſſit; ſed

ſub veſperam tumor pedum œdematoſus ſuperueniebat: huius fine domum egreſſus eſt, perſeuerátque ſemiputris pituitæ excluſio minor, in dies deficiens. De tertio ſub finem obſeruationis diſſeremus. Scimus quendam collegam noſtrum non minùs doctum quàm eloquentem & expertum, non vulgares de his & aliis excretionum Dyſentericarum differentiis obſeruationes feciſſe, quas cum multis aliis notatu digniſſimis aliquando in publicum emiſſurum ſperamus.

Vermes. Vermium excluſio nihil vnquam boni præſagire poteſt, cum à putredine originem trahant; ideo in febribus morbiſque malignis (cuius naturæ fuit plerúmque fluxus iſte popularis) ſemper in ægrotantium perniciem vel periculum excernun

nuntur: conſiderandum tamen eſt, an ſoli, an fæcibus permixti; an viui, an mortui; principióne morbi, an augmento, ſtatu, declinatione; an pauci, an multi; an rarò, an frequenter; an ſurſum, an deorſum deiiciantur: nam pro iſtorum varietate varia poteſt elici prognoſis, vt cuiuis Medicorum notum eſt.

Sudor. Primis morbi diebus ſponte prodiens, vel debito ſudorificorum vſu prolicitus ſudor, plerumque fluxus violentiam intercepit, ſeroſis humoribus foras reuulſis; in fine contulit.

Iſchuria. Stranguria vel dyſuria propagatæ inflammationis vel extenſi caloris effectus nunquam fuit bonum ſignum; peſſimum verò, Iſchuria vel ab inflammatione ſphyncterem veſicæ occupante, vel à recto per

phlegmo

phlegmonem suâ collum istius multùm comprimente, vel ab omnium ichorum versùs intestina velut raptorum præcipiti anadrome dependẽs: hîc intromissa cerea candela vel cathetere cannulato nihil vrinæ fluit, vt contigit in quodam notario Lugdunensi, qui cum vrinæ suppressione interiit Dysentericus, frustra quantumuis dexterè in vesicæ capacitatem intromissis illis instrumentis à quodam Chirurgo peritissimo.

Vomitus. Vomitus pro diuersa illius causa periculosus plùs minùs fuit; contulit initio humores euacuando & reuellendo ab intestinis: perseuerans nocuit, vires debilitans, nutritionem impediens, acrimoniæ humorum, vel ventriculi phlogoseos, aut excoriationis signum.

Singultus. Singultus à quacumque causa

ſa ortum duxerit, eius magnitudinem ſignificat, eſtque perniciosſus; ſed ab inflammatione ventriculi, vel inteſtinorum, vel epiploi, vel iecoris, omnium funeſtiſſimus; à flatu malus, non quidem peſſimus; quoniam malignam auram cardiaca intus ſumpta diſſipare poſſunt. Obſeruauimus aliquando ſingultum præceſſiſſe recurſum humorum ad ſuperiora, portione ſcilicet ſubtiliori ventriculum feriente ſine ſignis inflammationis illius, craſſiore verò vel copioſiore cerebrum appellente; vnde catarhus in pectus vel ſopor diuturnus, vel lethalis apoplexia, vel fugax, quàm hemiplegia ſubſecuta eſt, vel aliquando paraphrenitis ſucceſſit.

Actiones. Tandem in iſto morbo ſicut in aliis facilè reſpirare, mente conſtare, & benè ſe habere ad

ca quæ offeruntur, bonum fuit
ſignum: mens conſtans, cere-
bri robur; reſpiratio facilis, cor
illæſum; præſens appetitus, ven-
triculum minimè malè affe-
ctum denunciat; ἀποσιτία autem
omnis hîc ſemper fuit peſſima,
tum vt ſignum debilis virtutis
naturalis, tum vt cauſa vires de-
bilitans: quæuis enim Dyſen-
teria innatam nobis ἀναγκοφα-
γίαν, ſumendíque cibi neceſſi-
tatem auget, propter ſubſtan-
tiarum corporis noſtri, quam
parit, ἀπόλυσιν, cuius reparatio-
nem ἀποσιτία impedit: ſyncope
omnis periculoſa fuit.

ἀποσιτία.

Syncope.

Antequam curationem at-
tingamus, operæ pretium eſt
ſatisfacere quærenti cur in
Lugdunenſi prouincia, Lug-
duni potiſſimùm tam frequen-
ter graſſetur popularis Dyſen-
teria, vel alui fluxus illius æmu-
lus?

Cur Lugduni Dyſenteria frequens.

lus? Astrologus responsum daturus, forsan rationem venabitur ex dominio Virginis supra Lugdunũ, vnde Sol Virginem deosculãs, si malè ab aliis astris afficiatur, facilè ipsis intestinis Virgini subditis acquisititiam labem imprimit, aptáque reddit ea suscipiẽdis humoribus, quos Sirij ardor attenuãdo, & calefaciendo fluxiles & pondere proprio versùs inferiora facit deciduos; vnde in hac ciuitate circa mediam ęstatem plerúmque solet vel incipere vel vigere Dysenteria. Nos verò satisfaciemus huiusce frequentię causam repetentes, tum ex ventis meridionalibus Lugduni sępiùs perflantibus, & humores liquãtibus, tum ex mutatione subitanea tempestatum anni, quæ plerumque suam temperiem non retinent, tum quòd au-

tumni hyemisque tempore, &
nonnunquam veris initio soleat
aër vaporibus multis ex vtro-
que flumine eleuatis infici &
incrassari; à quibus cerebrũ re-
pletur; tũ ex situ ipsius Lugdu-
ni,in quo aër est conclusus;tum
ex proprio,vel acquisititio Lug-
dunensium temperamẽto, qui-
bus cerebrum plerúmque hu-
midius est, & catarhi fœcun-
dum; ipsa verò viscera multùm
calent, vnde pituitæ salsæ &
multæ bilis prouentus; tum ex
præpostero plebis viuendi mo-
do ipsa intestina & vẽtriculum
afficiente, tum quòd frequens
sit vsus extremitatum & intera-
neorum animalium, à quibus
crassorum circa intestina hu-
morũ fit cumulus, qui æstate
minimè difflatus calorem, vel
putredinem contrahit,& facilè
regurgitans in ipsa intestina,
aluum

aluum præter naturam ciet. An verò conditio frumenti, leguminum, carnium, piſcium, fructuum, herbarum, vini, aquæ, quibus vtimur, particulare aliquid contribuat frequentiæ talis Dyſenteriæ epidemicæ, viderint ſeniores, & apprimè inquirant, vt vrbis œconomiæ moderatores & πολιάρχους moneant & doceant, quid vtilitatis publicæ gratia circa illa ſit faciendum.

Capvt III.

De curatione Dyſenteriæ epidemicæ, & primùm de remediis cauſæ dicatis.

Cvratio Dyſenteriæ eadam eſt, quæ vlceris, quòd ſit inteſtinorũ vlcus cum dolore & cruoris excretione; vl- *Curatio.*

ceris curatio poſita eſt in exſic-
catione; ideo Dyſenteria cura-
tur iis, quæ inteſtinorum vlcera
exſiccant, non tamen ſolis,
quoniã vlcus Dyſenteriæ cau-
ſa, non eſt ſimplex, ſed com-
plicatum, cui debentur reme-
dia diuerſa pro varietate eorum
à quibus ſortitur ſuam compli-
cationem; vlcus Dyſentericum
perpetuò dolori & cruori con-
nectitur, aliis ſymptomatis ple-
rumque ſtipatur, à cauſa ſemper
fouetur; vnde remediorum alia
ad cauſam vlceris, nonnulla ad
vlcus, quædam ad ſymptomata
diriguntur; quibus meritò fui-
mus vſi in curatione fluxus
ventris epidemicè anno 1625.
Lugduni ſæuientis; quia Dy-
ſenteriæ veræ naturam imita-
tus eſt. Cauſa externa, dum
fuit præſens, aut eſt remota, aut
correcta; ſic infectum cubiculi
aërem

Triplex genus remedij.

Cauſæ externæ remedia.

aërem mutatione vel alteratione emendauimus; ab altero correptum ab eo ſeparauimus, & ſic de aliis. Cauſa verò fouens ipſius vlceris peccauit copia, acrimonia, motu: copiæ euacuantia; acrimoniæ refrigerantia & temperantia: motui reuellentia, intercipientia, deriuantia præſcripſimus; non ſeorſim, ſed plerúmque ſimul & ſemel mixta. Copiæ itaque humorum dedicauimus ea, quæ euacuant; inter quæ purgantia primum locum obtinent omnium ferè neotericorum ſententia: ea autem ſunt vel cathartica, vel emetica. In catharticorum vſu quinque potiſſimùm difficultates naſcuntur, an purgandum; qualia purgántia competant; quando purgandum; an purgationi præparatio, & an venæſectio præmittenda.

Cauſæ fouentis remedia.

Cathart. difficult. 5.

Emetic. 3. tenda. De emeticis tria potiſ-
ſimùm dubitantur, an conue-
Purgatio. niant, quando, & qualia. Claſſi-
ci Auctores varias hinc inde
tum negatiuas, tum affirmati-
uas in medium afferunt ratio-
nes, & nodum cuiuſlibet harum
difficultatum ſoluere conantes,
aliqui affirmãtium partes tuen-
tur, nõnulli negantium opinio-
ni ſuffragantur. Conciliare verò
diſſentientium opiniones pauci
cõtendunt. Nos nullius opinio-
ni addicti, ſed veritatis amici, &
publicæ vtilitati ſtudentes, mo-
dò iſtos, modò illos ſequuti
fuimus, & ſequenti methodo
purgantia in vſum reuocaui-
mus.

In Dyſen. à cõgeſt. Quotieſcumque fluxus ille
popularis originem traxit ex
congeſtione humorum acrium
circa inteſtina collectorum, to-
ties cenſuimus ægrotantes pur-
gandos,

gandos, imitatione naturæ, quæ lacessita humorum multitudine & acrimonia, eosdem per loca conferentia, nempe intestina (vt cum partium cõnexione humorum situs demonstrat) foras deiiciebat, obseruata priùs torminum ventris intensione, fluxus quantitate, & humorum conditione: etenim non omnes ista differentia popularis Dysenteriæ correptos purgationi astrinximus: verùm non paucos quiete, diæta conuenienti, & astringentibus modò solis, modò cum temperantibus detergentibus à principio modici fluxus, leuiorique dolore comitati propinatis curauimus; & si aluus magna quantitate flueret, plerumque à purgatione abstinuimus, timentes tum virium non tam pręsentem quàm futuram, & timendam

imbecillitatem; tum fluxionis accessum: in robustis nihilominus *drag. j. sem. rhei aqua rosarum impraegnati, vel paucae rosarum conseruae permisti exhibuimus*; vigente verò paulò magis dolore nec immodicè deiiciente aluo, ne vlcus morâ accederet, vel ne praesens si esset vasis alicuius erosio, augeretur, idem catharticũ imperauimus *cum diacarth. drag. j. & s. vel drag. ij. vel bolum ex catholiconis duplicato vel triplicato rheo vnc. sem. diacarthami vel rosati Mesues drag. ij. ex huius electuarij drag. iij. vel vncia sem. cum scrup. j. terrae sigillatae, & scrup. sem. pul. diarrhod. abbat. non semel bolum confecimus, & bis tantùm ex puluer. hierae picrae scrup. ij. rhei electi pul. drag. sem. cathol. vncia sem.* parauimus cum successu in multa cacochymia pituitosa & viscida; ad cuius eductionem

audaces aliqui Medicinæ ſcriptores diacarth. drag. vj. imò plures pro ægrotantium natura concedunt;quod primo morbi inſultu in robuſtis,obeſis,ruſticis,& qui multo cibo vtũtur, minimè vereremur,cùm omnes humores vacuet & in fine euacuationis roboret : cùm opus fuit reïterata purgatione, eam perfecit *rhabarb. ad ſcrup. iij. ſumptum & mixtum ſcrup.j.terræ ſigillatæ,& ſcrup.ſem.pul.diarhod. abbat. cum pauco ſyrup. roſ.ſiccar. vel ſolutiuo vel ſimili in boli formam redactum.* Si palato ægrotantis potio gratior fuit, liquidioris conſiſtentiæ catharticum concesſimus, minùs tamen proficuum; quia in omni alui fluxu retentrix excrementorum humiditate læſa ſiccioribus gaudet, ipſaque vlcera ſolidioris formæ remediis, quæ non ſubi-

tò diffluunt, magis detergun-
tur,& exſiccantur,aſtringendo-
que purgantia infuſa vel deco-
cta roborant minùs, quàm in
ſubſtantiâ ſumpta, & raró pur-
gationi pręparãtia pręmiſimus,
ſola victus ratione contenti;
quoniam hîc acrium humorum
cumulus parũ ab inteſtinorum
cauitate diſtat, ſoláque reten-
tione bilis feruet, nulla febris,
& leuiſſima vel nulla excoria-
tio, nec atrociùs vexat dolor.
Numquam purgationi præmiſi-
mus venæſectionem, poſt illam
vix celebrauimus, quoniam ſo-
la cacochymia hîc vrgens pur-
gationem, non phlebotomiam
indicat, & dolore facilè reme-
diis cedente fluxionis omnis
occaſio ſublata fuit.

Præparatio.

Venæſectio.

Sed cum epidemici fluxus
cauſa fuit humorum decubitus
ex viſceribus in inteſtina, nullis
aliis

Purgatio in Dyſenteria ex viſceribus.

aliis vſi fuimus remediis, ſi more diarheæ incepit ſine febre affligens : præſente verò febre aliqua præparantia acrimoniæ & motui dicata purgationi perpetuò antepoſuimus, quàm venæſectio inſequuta fuit:at ſi per vaſa ex viſceribus humor acris in inteſtina fluens primo morbi die cruorem deiectionibus permiſcuit, ſiue cum febre, ſiue non, purgationem (niſi immodicè flueret aluus) ex mitioribus & aſtringẽtibus præſcripſimus, arrepta priùs, ſi fieri potuit, occaſione propinandi medicamentum aliquod refrigerans, incraſſans & vias leniens, ne humores affatim versùs inteſtina per catharſim rapti nouam ſuſcitarent eroſionem, aut præuiam extenderent : purgatio fuit hîc neceſſaria, tum vt citò partes principes illiſque vi-

cinæ depurarentur prauis humoribus & ichoribus, qui mora sua eas inflammarent, lentéque per plurium dierum spatium fluentes, adhærendo vasorum oscula vel tunicas intestinorũ magis abraderent, quàm purgationis tempore citiùs prolabentes; tum vt aliorum remediorum tutior foret vsus, largioríque copia possent sine detrimento ægrotantes nutriri impuris humoribus minùs fordescentes: rarissimè purgationem repetiimus, nisi in declinatione cum medicamento summæ adstrictionis, quoniã omnis purgatio partes intestinorum vlceratas exasperat, & vigente Dysenteria ipsiusque fluxus augmentum, & statum percurrente, iam motui paratos summaque inclinatione intestina appetentes humores, denuò
com

commouere eſt periculi plenum, viribus morbi diuturnitate necnon euacuatione & reuulſione nonnihil attritis, ideo maximè quod cathartici ſemel ſumpti operatio tum ægrotantis, tum Medici poteſtatem excedat, & ſæpiùs præter vtriuſque ſpem tali anni conſtitutione non modò ægris, ſed etiam ſanis leuius medicamentum procreauit hypercatharſim, quę artis noſtrę præſidia in nonnullis funeſtè aliquando fefellit: ſi progreſſu temporis creuit prauorum humorum excretio frequens, magníque inteſtinorum vlceris ſuſpicio adfuerit, à reïterata purgatione omninò niſi in fine abſtinuimus.

Depulſis verò humoribus è venoſo genere ad inteſtina, principio etiam morbi purgationem ſuſpectam habuimus, ne

Purgatio in Dyſenteria ex venoſo genere & habitu.

ne motus humorum iam præ
impetus vehementia ipsius vri-
næ materiam subripiens auge-
retur, qui vix coërceri posset,
maximè si simul ex toto serosi
& corrodentes humores inte-
stina versùs præcipites fluerent,
vnde citatior alui fluxio (cuius
nota sunt incommoda) necessa-
riò contingeret, quàm astrictio
purgantis medicamenti quæ-
cumque, prohibere est impo-
tens, propter trium illi aduer-
santium concursum, medica-
menti putà purgantis attractio-
nem, intestinorum retentricem
debilitatam ac acrium humo-
rum humiditate læsam, tandem
præcipitem eorumdem versùs
intestina à multo venosi gene-
ris veluti ναυτία laborantis irri-
tamento, vel totius expultrice
læsa, & causarum externarum
intus pellentium vi aliquando
concur

concurrente factam transmissionem ; propter quas causas opinamur Græcos Medicinæ proceres nunquam purgantibus etiam mitioribus vsos fuisse ad causarum euacuationem ; sed tantùm ad vlceris detersionem & exsiccationem, sicut colligere licet ex pastillis Philippi apud Aëtium, in quibus aloës drachmæ quatuor tantùm plurimis aliis siccis & astringentibus permiscentur. In istis Dysenteriis venæsectio semper celebrata fuit consentiente virium robore, ad reuulsionem causæ antecedentis per vasa ex visceribus, venoso genere & totius corporis habitu ad intestina prolabentis.

Venæsectio.

Dysenteriam salsi ex cerebro catarhi progeniem parum iuuare potuit electiua purgatio adstringentibus facta, nihil de

Purgat. Dysent. à cerebro.

loco

loco humorem mittente detrahens; ideoque ab ea abſtinendum cenſuimus, niſi impuris viſceribus videretur decernenda; poſt primos dies phlebotomia fuit vtilis, ſi febris adeſſet præſens, aut futuræ aliquod indicium, aut dolor vehementer perſeuerans.

Ante purgationem notanda quinque.

Antequam ſeriem purgantium medicamentorum Dyſenteriæ à fluxione oriundæ curationi conuenientium proponamus, priùs recenſebimus quædam neceſſaria ad bene ſtatuẽdam vel prætermittendam purgationem, ſuperiùs minimè comprehenſa, aut obſcuriùs propoſita. Conſiderauimus itaque primò motus ſeu fluxus ipſius naturam, an ſpontaneus; an vi cauſæ alicuius externæ, vt cathartici productus; an alteri morbo ſuperuenerit: ſpontaneus,

Primum.

neus, an naturalis ſeu natura bene agente productus; an verò morboſus ſeu cauſis præter naturam genitus ſit; quod diſtinguit ſufficiēter Galenus comm. aphor. 2. lib. 1. In naturali rarò purgationem adhibuimus: morboſus autem vel inuaſit cum febre vel ſine febre: in iſto purgationem maiori cum fiducia omni fluxus tempore celebrauimus, ſi multa premeret cacochymia; illi ſi febris fuit maligna prauiſque ſymptomatis comitata, catharſis inutilis & noxia fuit: nam nec ſiſtere nec accelerare merè ſymptomaticam excretionem conuenit, niſi forſan copioſiſſima fuerit vel minima, aut ante tempus ſponte vel imprudenti arte in deterius ſuppreſſa: ſi febris fuerit mitis cum multæ cacochymiæ circa viſcera cumulo, boni duximus

humo

humorum ſarcinam imminue-
re,aliàs naturæ & remediis mo-
tui & humorum acrimoniæ di-
catis totum negotium curatio-
nis reliquimus. Cruentam hy-
percatharſim plerumque fœli-
citer curauimus paucorum re-
mediorum vſurpatione, haben-
tes rationem cathartici, fluxus,
humoris & ægrotantis. Morbis
pleriſque accidit fluxus iſte po-
pularis,vt hemiplegiæ,hydropi,
aſthmati, pleuritidi, ægrũ priùs
occupantibus ; ſed frequentiùs
febris continuæ,& intermitten-
tis epigenomenus fuit ; qui cri-
ticæ & perfectè ſalutaris eua-
cuationis conditionibus præ-
ditus, nullis indiguit remediis;
ſi imperfectus fuit ad melius,
ſolius naturæ & diætæ regimini
deſertus fuit, & raró purgatio-
nem expertus eſt:merè ſympto-
maticum & ad mortem perfe-
ctum

ctum aut ad deterius imperfe-ctum, purgatione proritare vlteriùs quis auderet? Mediæ naturæ ſeu mixti motus inter criticam & ſymptomaticam euacuationem, fluxum non agnoſcimus Dyſentericũ, præter illum qui febri accidit non-nihil ægrotantem ſubleuans, & criſcos imperfectę ad meliùs nomen demeretur: omnis enim euacuatio in morbis fit aut natura agente vincẽte; morbo reagente patiente: vel à morbo agente vincente: natura reagente patiente.

Secundò conſiderauimus excretorum quantitatem & naturam: ſi excrementum fuit laudabile, ſeu non funeſtum, abbreuiandi morbi, ſeu prohibendi eius in deteriùs augmenti cauſa, ſine periculo non ſemel præſcripta fuit purgatio: *Secundũ.*

in

in illaudabili cautiùs agendum putauimus, & rarò extra principium & declinationem purgandum: Nam aut praui magnique vlceris, aut ſummæ humorum perturbationis ſignum fuit; hanc auget, illud exaſperat purgatio, quam in paruo fluxu libenter, in modico, cum diſtinctione ex præſcriptis petenda; & in immodico nunquã vſurpauimus, rati verius eſſe fluxum fluxui addere, eſſe periculoſum, quàm fluxum fluxu curari. Immodicum autem fluxum vocamus, ſi æger vna die & nocte quindecim vel ad ſummum viginti vicibus & qualibet vice non pauca deiiciat.

Tertium. Tertiò cõſiderauimus ſymptomata, vt dolorẽ, cruorem & alia, de quibus inferiùs acturi ſumus.

Quartũ. Quartò morbos concomitantes, vel antecedentes, pro quo

quorum natura ex propriis capitibus repetita, modò vtilem, modò inutilem purgationem iudicauimus; inter illos frequentior fuit lipyria ex inflammatione ventriculi, inteſtinorum, hepatis, lienis, aut aliarum partium abdomine contentarum ſuborta, quæ maximè diſſuaſit purgationem, nihil aut parum de humoribus inflammationis cauſis detrahentem; inflammationi verò & vlceri nocentem, cuius loco ſerum caprinum ſæpiùs vſtulatum & nonnunquam parua quantitate tamarindorum in eo priùs coctorum & colatorum alteratum propinauimus ad vncias viij. vel decem cum ſaccharo roſato.

Quintò denique, virium robur purgationem permiſit, debilitas prohibuit, quæ ab initio *Quintū.*

frequen

frequentiùs in isto alui fluxu populari quàm illud apparuit.

Quamuis omnes fere humores tempore deiectionum istarum popularium excreti simul apparuerint, sæpiùs tamẽ vnius supra alios dominium compertum est, vnde diuersis catharticis opus fuit; hunc magis vel illum humorem educentibus, cholagogis scilicet, phlegmagogis, melanagogis, & hydragogis.

Cholagoga. Cholagoga maximè fuerunt in vsu, quia humor biliosus frequentior fuit fluxus causa. Inter cholagoga nullus est, qui rhabarbaro infuso vel in substantia sumpto primas non attribuat; in principio morbi potiùs infuso, aliis temporibus puluerato per se aut cum aliis sumpto. Inter authores multùm controuertitur, an rhabarbarum

An rheũ sit torrefaciendum.

rum Dyſenteriæ per purgationem curandæ gratia, ſit torrefaciedum: nonnulli damnant cuiuſlibet medicamenti purgantis torrefactionem; ad purgandum enim inutile, inualidúmque, necnon etiam acre redditur catharticum; & poſito quòd aſtrictio illius leuiori vſtione intendatur, magis principio nocebit aſtringens plus quàm euacuans: tunc enim ad viſcera vis purgatrix peruenire debet, ipſius verò rhei fortiter expreſſi aut in ſubſtantia dati, tum natiua, tum adſcititia ex decocto vel mixtione conuenienti vis aſtringens ſatis ſupérque eo tempore, quo purgatio vtilis eſt, inteſtina roborare poteſt: deficiente verò ſcopo purgationis non eſt rhabarbaro vtendum, ſed aliis quæ aſtringunt plus minùs iuxta fluxus

Negans opinio.

neceſſi

Affirmans. necessitatem. Alij verò exhibent medicamenta torrefacta, vt roborentur intestina, ne purgationis tempore fluxionem facilè recipiant; cùm autem tribus primis Dysenteriæ temporibus vigeant fluxiones, & veniant in declinatione timendæ, fit vt rhabarbarum, cæteráque cathartica priùs torrefacta vel fluxioni sistendæ, vel præuidendæ in quolibet Dysenteriæ tempore, simul & educendis humoribus conueniant; aliter plus nocere possent fluxionis irritatione, quàm cacochymiæ euacuatione: quod si considerassent Amatus, Hollerius, Rõdeletius, docente Pereda, non prohibuissent eorũ vsum; præsertim cùm adducti sint leui ratione: torrefactio enim exigua non relinquit empyreuma, sed magna, quæ & mutat speciem.

Quidam

Quidam difficultatem ſic dirimũt; principio Dyſenteriæ rheũ integris ſuis viribus, non autem aſſatum exhibendum ſuadent: adſtrictione enim natiua ſatis roborat & humorem peccantem efficaciùs euacuat; medio verò morbi tempore & fine, aliquo modo torrendum, vt plus roboret, minùs euacuet: Nos autem vix duabus vicibus ſumus vſi torrefacto, etiam in declinatione, propter non inualidas negantis opinionis rationes, quarum pondus librari faciliùs poteſt, poſt explicationẽ modi torrefaciendi rhabarbarum, aliaque medicamenta purgantia. Rheum itaque per frustula conciſum in ſartagine aut lamina ferrea ſupra carbones ardentes parum torrefaciunt; id eſt tandiu in ea ſinunt per interualla ſartaginem concu-

Quorundam conciliatio

Negans opinio confirmatur.

tiendo, aut intra eam ipſum
cum ſtylo ferreo vel ligneo cō-
mouendo, donec nigredinem
quandam contrahat: eſt enim
torrefactio principium ſeu ru-
dimentum vſtionis: alij laboris
magis impatientes laminæ fer-
reæ, aut ſartagini ignitæ impo-
nunt, commouent, & ſtatim re-
mouent: vnde facilè coniicere
poſſumus, rheum ſic præpara-
tum ipſi Dyſenteriæ, tum ac-
quiſititio calore, tum diminuta
purgandi & vrinas mouendi
virtute, plurimùm nocere, vt ni-
gredo aliqua, ſapor ingratus, &
odor grauior empyreuma ſpi-
rans detegunt; quoniam hæc
tria contingere nequeunt ſine
conſumptione multa tenuioris
ſubſtātiæ (in qua præcipuè con-
ſiſtit vis purgatrix & diuretica)
cóque citiùs, ſi ignitæ laminæ
ferreæ (quod plerique pharma-
copæo

copæorum factitare ſolent) rhabarbarum minutim conciſum imponatur; nam vis ignea ſubitò permeãs imprimit tenuiori rheo validum ſatis empyreuma; quòd ſi per craſſiores talleolas diſciſſum imponant, maius enaſcetur incommodum; exteriùs enim torridum erit; integrum verò interiùs remanebit; externæ partes acrimonia nocebunt, purgationi inutiles; internæ torrefactionis expertes non magis roborare valebunt, nihilominus purgantes contra eorum intentionem; æqualiter verò intùs & extrà leuiter etiã torrefactum, ſi aſtringit magis, fiet ſimul acrius & minùs purgabit: rheum enim ſua ſiccitate & terrena ſeu craſſa ſubſtantia aſtringit, tenuiori verò potiſſimùm purgat: ergo ſiccius craſſiuſque fieri debet, vt magis

aſtringat : cùm autem non ſim-
plici exſiccatione, ſed torrefa-
ctione tale euadat, neceſſarium
eſt, tantum illi accidere acri-
moniæ, quãtum ſiccitatis: quo-
niam medicamenta ignei calo-
ris & ſiccitatis impreſſione a-
criora fiunt, & conſumptione
tenuioris ſubſtantiæ craſſiora;
ideo minùs purgantia & minùs
diuretica: propterea loco rha-
barbari torrefacti & ſuſpecti
ſubſtituimus, dum eſſet minùs
purgandum, rheum exſiccatum
in paropſide terrea vernice ob-
ducta, & ſupra chaldariũ prunis
ardẽtibus plenum poſita, & per
breuius temporis interuallum
ſæpiùs ab iſto remota, & denuò
ſupra iſtud admota, ipſum vn-
dequaque rheum cum baculo
continuò agitando. Verùm ex-
perti miniſtrorum incuria aut
ignis actiuitate cautiores etiam
deci

Rhei torridi ſuccedanea.

decipiente redolere aliquam empyreumatis naturam rheum hoc modo paratum, vice torrefacti, vel exsiccati, vt omne damnum euitaremus, vsurpauimus rheum in substantia succo cythoniorum, vel simili impregnatum, vel dissolutũ, dum scilicet plus astringendũ, quàm purgandum; in declinatione verò morbi ad fluxus astrictionem magma rhei anteà restringenti aqua, vel liquore infusi, & fortiter expressi, vel rhaponticum, vel, si esset adhuc aliquo modo purgandum, rhabarbarum terræ sigillatæ, bolo armenæ, confectioni hyacinthorum, pulueri diarhodonis abbat. cum syrupo cydoniorum associatum, aut aqua plantaginis, rosarum, peculi rosarum, succo cydoniorum, & similibus astringentibus, aquis vel liquoribus

sæpiùs irroratum, donec mollitiem contraheret: desinente iam epidemico illo fluxu, aliam rhei præparationem excogitauimus: nam pulueratum ipsum cydonio multùm excauato inclusum, in furno mediocriter calente cum disco terreno imponendum est, eo fine, vt post sufficientem coctionem, modò aliquid ipsius cydonij, modò rhei, modò vtriusque simul contusi, Dysentericis ante cibum frequenter exhiberemus, morbo scilicet declinante, & quo tempore non tam aluo mouendæ, quàm sistendæ incumbendum est: huius remedij non potuimus facere periculum, & nisi nos nostra fallat opinio, optimum esset remedium debitè vsurpatum. Cassia sola, numquam; mixta, rariùs vsi sumus; quia flatulēta caput replet, tormina

Cassia.

mina ciet, nimiáque humiditate laxat: manna nimiùm lubricante, caloris facilè susceptiua semel tantùm ad vnc. sem. mixta cum dragma vna rhei in suffic. qu. aquæ hordei vstulatæ infusi & expressi, & vnc. j. sem. syrupi rosati solutiui cum agarico; nec malè successit in muliere morósa, mannam desiderãte; & myrobalanis citrinis decoctis, in principio; pulueratis, in fine; & syrupo rosato solutiuo cum rheo in principio; & vrgente maxima acrimonia, sero lactis caprilis vstulato ad vnc. viij. mane per duos aut tres dies sumpto, infundendo nonnunquam rhei pulnerati scrup. ij. vel drag. j. Hîc commendant aliqui vsum lactis asinini, sed nocebit, nisi sit chalybeatum, aut paucæ terræ sigillatæ commixtum.

Myrobal.

Serum lactis.

Lac asininum.

Phlegmagoga fuerunt, myrobala

Phlegmagoga.

balani chebuli, mel rosaceum; agarico, quem aliqui commendant, solo nunquam vsi fuimus, rariùs permixto; ne intestinis adhęrens, tormina cieret; phlegmagogis opus fuit permiscere cholagoga; quoniam pituita plerumque salsa euadit bilis permixtione.

Melanagoga. Melanagogis raró vsi fuimus, quia nunquam à melancholia ortum duxisse obseruauimus; ab atra bile productæ, non tam melanagoga quàm cholagoga temperata & lenientibus permixta decreuimus; ideo fuit parum frequens vsurpatio myrobalanorum indorũ: senna, quæ tormina ciet, semper venit reiicienda, maximè si dolores multùm premãt. Serosis humoribus, à quibus plerumque ortus est fluxus iste, conueniunt hydragoga, vt est syrupus

Hydragoga. rosat.

rosat. solut. cum rheo vel agarico pro diuersitate seri; & infusio rosarum pallidarum : mechoacham quidam laudant, cuius loco (rarior est enim ista radix suis dotibus prædita) vsurpauimus ialap cum rheo & aliis in quibusdam casibus : syrupus de polypodio si paratus extitisset, seri melancholici, quo plerumque lien stagnare solet, euacuationi contulisset, ipsumque etiam polypodium decoctis additum; quia simul est detersiuum, & vulnerarium, ipsiusque leuior noxa, quam potest imprimere stomacho, coctione & stomachicis corrigi potest; illo tamen abstinuimus, quòd ingratam reddat potionem. Ex his simplicibus cum refrigerantibus, incrassantibus, detergentibus, astringentibus, & iis quæ malignitati nimiùm vrgenti

resisterent, viresque recrearent, varia composuimus remedia purgantia pro diuersa morbi & ægri conditione: exempli grat. *℞. fol. plantag. cum semin. m. sem. hordei integri leuiter exsiccati & fol. vinc. peruinc. an. p. j. semin. coriandri drag. sem. coque in s. q. aq. pluuial. vel com. vstulatæ; cola. vnc. iij. infunde per octo horas rhei electi pulu. scrup. iiij. vel drag. j. sem. santal. rubri scrup. j. expresso forti adde sirup. ros. solut. cum rheo vnc. j. sem. confectionis alchermes, vel pulueris diamarg. frigidi, vel diarhodonis abbat. scrup. j. aliquando coctioni admiscuimus aliquid scordij & corticis rad. pentaph. granor. citri, rasur. cornu cerui, & simil. factáque fuit potio.* Bolus autem sic paratus est. ℞. *rhei electi & puluerati scrup. iiij. vel drag. j. sem. terræ sigill. scrup. j. vel scrup. sem. pul. diarhod. abbat. scr. sem. cum syr.*

Potio purgans.

Bolus purg.

syr. cydon. si magis purgandum, cum syr. rof. solut. aut cum infus. rof. pall. fiat bolus; qui aliquãdo ex rheo & conserua rof. rubra liquida consignatus est.

Theriacam purgantibus admiscendam contra nonnullos quidam prohibent, quòd eorum vim, teste Gal. obtundat. Quãuis nunquam theriaca sic vsi fuerimus, censemus tamen non simpliciter, sed cum distinctione theriaces, affectus, & cathartici, esse respondendum. Theriaca recens purgantis quidem operationem vi narcotica quodammodo cohibet; quæ verò sex annos excessit, minimè; ideo in aliquibus fanis liquando, attenuandóque humores, aluum mouere comperta est; vnde exigente morbi malignitate magnum cardiacum, & febre vehementi non existente, non ve-

An theriaca purgantib. miscenda.

reremur, scrup. j. theriaces huius permiscere leniendo, astringendóque purgantibus: an verò vrgente multùm dolore & cacochymia multa paruo alui fluxu non sufficienter eductâ, & purgationem insinuante per paulò validius medicamentum moliendam, theriaca recens purgantibus possit admisceri; agitatione dignum perpetuò nobis visum est, maximè cùm Valescus de Tarenta eam prescribat; & Varandæus præceptor noster Monspelij, Professor Regius & Medicorum Decanus; colico dolori hypochondrium sinistrum magis occupanti, pilulas ante cœnam vsuales opium continentes aliquando præscripserit; & insignis practicus Rondeletius in colico dolore vehemẽtissimo misceat catharticis narcotica, vt causam

morbi abſcindat, ſimul & dolorem tollat: vnde analogiſmo facto ab vno dolore ad aliũ theriaca torminibus ventris cõferre poſſe videtur. Attamen finita tantùm purgatione hypnoticorum vſu dolores mitigauimus; nec vnquam auſi fuimus miſcellam eorum cum purgantibus hîc experiri, tum quòd à nemine collegarum in curanda Dyſenteria populariter graſſanti fuiſſet factum, tum quòd non cuiuis, etiam ſeniori, niſi magnæ doctrinæ & multæ experientiæ Medico liceat analogiſmo vti in morbis, qui plurimùm diſpares apparent; nondum enim in artis operibus, conſummatis, ſimilium diſſimilitudines, & diſſimilium ſimilitudines plerumque imponere ſolent: in colico dolore ferè ſemper adeſt aluus aſtricta; in

Dyſen

Dysenteria, libera; illi astringendo purgantia nocent; huic semper conferunt suo tempore exhibita: somnifera constrictionem alui, colico inutilem; difficultati intestinorum vtilem augent: attamen cùm theriaca recens ipsius cathartici actionem retardare quidē, sed non omninò cohibere possit, si vtrumque methodicè permixtum propinetur (quod cognoscentes aliqui consulunt narcoticis, somni conciliandi causa datis aloëm esse permiscendam, ne diutiùs intra intestina, quibus nocere possunt, immorētur; sed peracta actione citiùs deiiciantur: somni enim tempore, virtus purgatrix de potentia in actum à calore natiuo reducitur, lentéque humores attrahit; ita vt à somno deiiciat aluus copiosiùs, irritata facultate expultrice à sub-

ſtantiâ purgantis, & ab humorum cumulo lentè circa inteſtina quietis tempore congeſto, ſine timore fluxionis, quæ facilè purgantibus tam in colico, quàm in Dyſenteria contingit, ob præſentem in toto humorũ perturbationem, quam compeſcit vis narcoticorum altiùs permeans) exiſtimamus, poſſe aliquid theriacæ recentis purgantibus permiſceri, ſi in vtroque dolor multùm vrgeat, nec minor adſit validiùs purgandi neceſſitas.

Vomitoria. Emetica Dyſenteriæ initio conferre ſæpiùs experti ſumus: materiam enim ad inteſtina fluẽtem reuellunt, & auertunt, ventriculúmque mundificant, & quandoque ex viſceribus humores nulli purgationi cedentes educunt: vnde poſtea fluxus facilè ſiſtitur: aſſuetis aut

facilè

facilè vomentibus, vel nausea præsenti, si nulla ventriculi & viscerum præsens fuerit inflammatio, vomitum excitauimus. Quidam neotericorum ex Gal. 4. meth. purgationem per inferiora præscribit, si superioribus intestinis vlcus inhæreat: vomitum verò, si inferioribus: nos tamen vbique vomitum laudamus; quia omnia intestina, ratione situs, vētriculo sunt inferiora, tum etiam, quòd ex visceribus & venoso genere humores ad intestina fluere paratos elicere possit. Volunt alij corpore priùs purgato vomitum conuenire, ne materia acris ad ventriculum regurgitans ipsum lædat, & ciborum fastidium inuehat: alij verò ante purgationem, vt fiat reuulsio ab intestinis, ad quæ materia acris defluit; nec timenda est ventri-

culi

culi erosio, cùm & ipsis intestinis crassiorem possideat tunicam crustaceo quodam tegumento obductam; & citissimè ex ventriculo, ἄνω humores educantur. Huic opinioni suffragium nostrum tribuẽtes, vomitum ante purgationem (si fuit necessaria) excitauimus, nisi sponte vrgeret, assumptione tepidorum iusculorũ pinguium, vel olei amygdalarũ dulcium, admiscendo ea, quæ leuiter roborant, vt aq. ros. taps. barbati, vel syrup. ros. solut. cum agar. Certè cum decubuit humor ex cerebro in ventriculum, isti depurando contulit vomitorium, & ne humores ex ventriculo acres ad intestina ferrentur, ante purgationẽ est propinatum. Sunt, qui validiora præscribunt, vt sal vitrioli, asarum, quibus nunquam sumus vsi.

noui

nouimus tamen quendam chymicum anno 1607. accepisse gr. iij. mercurij vitæ (quem ille ritè parabat) principio Dysenteriæ, & eadem die sumptis à cœna gr. iiij. laudani; intra septem dies morbo salubriter defunctus est, pariter & eius filius iisdem remediis vsus: mater verò iis vti recusans, vndecima morbi die periit. In robustis illud remedium, aut quid simile experiri non esset κατὰ λόγον, quod historia primo loco cum de purulentis ageremus excretis, confirmat.

Alterantia.

Humorum acrimoniæ, refrigerantibus, & lenientibus prouisum est; his, ne facultas expultrix acrioribus validè irritaretur; illis verò potissimùm, ne partes calidorum appulsu phlogosim & phlegmonem contraherent; talia sunt lactuca, portula

tulaca, mucilagines ſeminis cydoniorum in aqua plantaginis extractæ, & ſimilia.

Reuellentia. Fluxiones autem humorum reuellunt chirurgica quædam auxilia,& quędam pharmaceutica;illa ſunt venæſectio,cucurbitulæ, ligaturæ, frictiones partium ſuperiorum;iſta verò,diuretica , ſudorifica , metaſyncritica.

Venæſectionem negans opinio De venæſectione,hæc protulit Rondeletius ſummæ apud nos authoritatis practicus;nonnulli ſanguinis miſſionem imperant , ſed ſine iudicio & vtilitate , & cum magna ægrotantium moleſtia : vires enim deiicit , nec bilem vt plurimùm ex folliculo bilis fluentem retrahit ; nec ad curationem vlceris confert. *Affirmans.* Alij verò ferè omnes Aëtium,& Alexandrum ſequuti,Dyſentericis apertionem venæ

næ prodesse censuerunt; non quidem ratione vlceris; sed ratione fluxionis & futuræ inflãmationis, quas prohibet venæsectio motum contrarium humoribus inferens, ipsósque retrahens à visceribus & venoso genere ad circumferentiam, impeditque refrigerando imminens humorum incendium, & præsens temperat. Nos huic opinioni consentientes, ferè semper sectione venas Dysenteria laborantibus aperiri iussimus, cum fœlici successu & subitaneo leuamine: non omnibus tamen indifferenter: in Dysenteria à congestione, vix sanguinem misimus: in ea, quæ à visceribus traxit originem, sæpiùs, refrigerandi hepatis gratia: semper verò in ea quam fluxio ex venoso genere, vel toto produxit, reuulsionis causa;

Venæsectionis limitatio.

ſa; quòd ſi ſimul adiungeretur plethora, vel ſuppreſſio ſanguinis, ex Aëtio, audaciùs ſanguis miſſus eſt; vt etiam ſi febris vehemens, aut inflammatio ventriculi, inteſtinorum, hepatis, vel dolor adfuerit remediis nihil, aut parum remittens; ſed neceſſarium perpetuò fuit virium robur non modò præſens, ſed etiam futurum; vnde deiecta appetẽtia, ciborum auerſio, & nimia ciborum abſtinentia diſſuadebant venæſectionem: ætatis etiam ratio fuit habenda, ſenibus rariùs quàm pueris: his frequentiùs à ſeptimo anno vſque ad decimumquartum, à quarto verò vſque ad ſeptimũ rariùs: nunquam enim aſſentiri potuimus prohibentibus omninò venæſectionem ante decimumquartum annum, propter veritatem opinionis contrariæ,

quam

quam grauissimi authores susti-
nent, & possumus confirmare
pluribus quam ducentis expe-
rientiis ex curatione scorbuti,
seu aphtharum malignarum,
pleuritidis, febris continuæ &
variolarum pueros affligẽtium
petitis. In Dysenteria puero-
rum cautiùs agendum, non ta-
men omninò ab ea abstinen-
dum: sex pueris qui ætatis suæ
annos circiter sex attigerant,
missio sanguinis nostro consilio
celebrata fuit, quorum vnus
tantùm interiit, cuius frater to-
tidem annos natus, anno 1621.
similiter affectus perierat, nec
vllam passus est venæsectionẽ
ab alio tractatus, quòd notabit
diligenter qui procax nimis
nostris non auditis rationibus
illam ausus est criminari venæ-
sectionem. Qua vena, qua quan-
titate, quomodo sanguis edu-
cen

cendus, docuit Aëtius, quem imitati ſumus; ſed quo morbi tempore; an poſt vel ante purgationem, controuerſum eſt. Præſente vel iam imminente inflammatione ventriculi, vel alterius partis ſtatim miſimus ſanguinẽ; aliàs verò poſt quartum vel quintum diem, vt maiori parte cacochymiæ ſublata nullus ſubeſſet timor recurſus prauorum humorum versùs interiora: bis ad octauum diem diſtulimus, vrgente cardialgia cordiſque langore: tardiùs vocati, virium conſenſu, etiam duodecima die, imò poſt vigeſimam imperauimus. Circa diem decimumoctauum Dyſenteriæ, viſitauimus adoleſcẽtem viginti annorum abſente Medico familiari, in cuius gratiam vigeſima ſecunda die conuocato duorum ſeniorum Medici-

Tempus venæſectionis.

næ

nę Doctorũ consilio, tum nostro decretum est, sanguinem vigesima tertia die de basilica dextra detrahendum esse ad vnc. vj. postridie consultationis Medicus maximi nominis in vrbe, & ægri ordinarius ipsum visitans venæsectionem, pro rę de nouo nata, dissuasit, & circa trigesimum permisit cum magno ægrotantis emolumento: hic tandem post multos dies conualuit.

Hirudines. In pueris venæsectionis loco, sanguisugas venæ post ligaturam tumenti quidam applicãt; chirurgus tamen si fuerit suæ artis peritus, facilè acutiori lanceola, citò, tutò, iucundè ipsam aperire potest, quam nobis prę-sentibus ex officio archichirurgus in præscripto puero dexterè secuit; & nisi spontanea hæmorrhagia nariũ superueniente impedi

impeditus fuiſſet quidam alius magiſter Chirurgus peritus & doctus in proprio filiolo ſex annorum phlebotomo venam aperuiſſet.

Curcubitulæ.

Venæſectionis præ virium imbecillitate omiſſæ, vel ſuſpectæ, vel non reïteratæ, vicem ſubiit applicatio cucurbitularum ſiccarum & cruentarum circa ſcapulas, & maximè circa lumbos cum euidenti vtilitate propter ſubitam reuulſionem. Tardiùs opem ferunt ligaturæ & frictiones partium ſuperiorum, inferiorum non adeo libenter permiſimus.

Frictio.

Sudorifica.

Sudorifica etiam motum reſpiciunt cauſæ antecedentis, ipſamque fluxionem ductis ad cutem ſeroſis humoribus reuellunt: ea autem ſunt interna vel externa: iſta ſunt, fotus tepentes aliis etiam de cauſis, va-

riis abdominis partibus applicati, vt inferiùs patebit: non semel vesiculas suillas pedibus, inguinibus, axillis aqua tepēte, vel decocto remolliente & neruali semiplenas ciendi sudoris gratia admouimus : illa sunt, aqua cardui benedicti, ipsius etiam papaueris rheados, decoctum schinæ, pentaphylli, rubię, syrupus D. Ambrosij dictus, & similia ; quorum vsus fuit frequens primis elapsis diebus post sponte vel arte imminutam multùm cacochymiam & venæsectionem celebratam, in ea Dysenteria, quam serosi humores ex venis vel toto fluentes committebant. Nec vlteriùs differre censuimus sudorificorum vsum ; quoniam serosi humores nulla indigent præparatione, vt diaphoreticis foras pellantur, maximè si pestilen-

tis

tis naturæ aliquid poſſideant; ne fluxui tamen, attenuantis caloris augmento nocerent, ea miſcuimus aſtringentibus, incraſſantibus, hypnoticis. Addidimus aliquando illis flores ſulphuris vulgari modo paratos defectu verè diaphoreticorum; ſed diuturnę cuiuis Dyſenterię, & maximè fluxionis cerebralis ſoboli ſudorifica corroborantibus, & ſi fluxio pectus obſideret, pectoralibus mixta contulerunt, paulatim facta ſudoris eruptione naturæ beneficio, ſomni viribus, teguminũ copia, linteorum calentium fomento.

Diuretica vrinas mouendo reuellunt ſeu deriuant ſerum, & noxios humores ex viſceribus, & venis per vaſa ducendo lotio deſtinata; ne tamẽ acrium humorum tranſitu renes malè afficerentur, præmiſſa tantùm

Diureticas.

alteratione,& euacuatione,plerumque frigidis, temperatis, vt ſemine melonum,cucurbitę,foliis capilli veneris, aliquando recentibus fœniculi ſummitatibus,petroſelini, parietariæ,cum aſtringente medicamento mixtis, & in aqua calybeata coctis, vel pulueribus aſtringendo diureticis, vt nucleis dactylorum, meſpilorum, cryſtallo præparato, & aliquando aqua fœniculi, parietariæ calybeata vſi fuimus: ſi diureticis ſumptis mictio non augeretur, eorum vſum ſtatim deſeruimus, niſi repellendi intentio multùm vrgens eorum mixtionem expoſceret.

Attrahentia foras.

Metaſyncritica humores ex intimis corporis partibus ſequela quadam ad habitum retrahendo, contulerunt catarrho, ſyncipiti deraſo admota; ſic & veſicantia ſuris, brachiis, & po

& ponè vtramque aurem applicata, si eruptionibus purpureis cutis inficeretur; nec timenda nimiùm fuit colli vesicæ phlogosis (qua vrgente iis abstinuimus) tum quia frequenti erat in vsu lac iniectum & assumptum, tum quòd cantharides correctiuorum mixtione temperatæ parua quantitate vesicantibus immiscerentur. Aëtius ex opinione Sorani dropacibus, rubrificantibus cutem phœnigmis, synapismis censet vtendum, in declinatione præsertim Dysenteriæ, quò totum malum penitùs destruatur.

Intercipientia.

Intercipientia sunt, quæ humoribus tardum motum inducunt, seu ineptos ad motum efficiunt, & sunt refrigerantia, incrassantia, exsiccantia, quæ magis humores; & astringentia, quæ vias potiùs respiciunt; illis

à principio fuimus vsi miscendo paruam astringentium quãtitatem: in Dysenteria enim semper opus est astrictione, maiori quidem vel minori pro diuersis fluxus temporibus, & impetu, motus natura, excretorum conditione; tum vt humores ad partem vlceratam fluentes, paulatim cohibeantur, aliter vlcus acrium humorum humiditate dilutum augebitur, & nunquam sanabitur; tum ne facultas intestinorum retentrix acrium humore debilitata, ampliùs infirmetur, sed roboretur; tum ne inflammatio nimio fluxionis acrioris appulsu, aliquam partium abdomine contentarum inuadat: si fluxio deerrauit in pulmones, paucis aut nullis, vel rarò principio fluxionis sumptis metu suffocationis, astringentibus vtendum.

Plura

Plura de aſtringentibus poſtea dicturi, nunc agitemus, an repercuſſiua Dyſenteriæ interna vel externa conferant: ſi ſitus inteſtinorum, vt partium externarum permitteret, circumponeremus vlceri Dyſenterico defenſiua, ſeu remedia repellentia; quod cùm fieri non poſſit, nos tum deforis, ano, abdomini, lumborumue regioni poſt generalium vſum illis admotis repellere fluentes humores conati fuimus, nec euẽtus fefellit: illitione enim lumborũ ex vnguento roſaceo, comitiſſæ, fotu circa podicem facto ex magmate roſarum vel tapſo barbato in vini & aquæ partibus æquis decocto, tegulis aceto irroratis, ano aut hypogaſtrio impoſitis, & cataplaſmate fabarum oxicrato coctarum, ſimilibuſque remediis externis dolor ceda-

Repercuſſiua.

tus, ipsiusque fluxus impetus sæpe fuit moderatus: tum etiam ore sumptis astringentibus cum diureticis & aromaticis, vt penitiùs subeundo potentiùs fluxionem repellerent, fluxumque sisterent; exempli gratia ℞. *aquæ fœniculi calybeatæ vnc. ij. aq. pec. ros. & syr. papauer. rhead. an. vnc. j. sem. confectionis de hyacintho scru. j. vel ℞. syrup. granat. & aquæ fœniculi calybeatæ an. vnc. j. syrup. papau. rheados & aquæ rosarum an. vnc. sem. aquæ papaueris rheados vnc. ij. cryst all. præp. & terræ sigillatæ an. scrup. j. fiat iulep.*

Hirudinũ vsus. Deriuantibus annumerari potest hirudinum applicatio circa anum tumentibus, aut nõ apparentibus hemorrhoidibus, quę, sedata fluxione, sanguinem fæculentum & in hypochondriis feruentem educit, ipsisque visceribus & intestinis refrigerium

riũ inducit;& eã ſphyncteri,vel recto inteſtino inflãmato multùm prodeſſe poſſe non dubitamus : ſcimus bis podici applicatas cum fœlici ſucceſſu fuiſſe ſanguiſugas decreto ſenioris cuiuſdam collegę ; nos ter iuſſimus applicari: & Delphinatem quendam à Dyſenteria curatum & correptum podagra & gonagra viſitauimus , cui , purgatione , & venæſectione præmiſſis , Medicochirurgus Ioannes Lucas Viennenſis ſanguiſugas fluxus tempore applicauerat, cum magno ſenſu promptę refrigerationis totius ventris. Proculdubio frequentior hirudinum ſic applicatarum vſus eſſe deberet , propter ſummam vtilitatem quam afferre poſſunt inteſtinorum , viſcerumque feruori ; nec applicationis difficultas , labórque importu-

nus ex frequenti desidendi conatu emergens, adeo salutaris remedij crebriorem vsurpationem prohibere debuit.

Capvt IV.

De remediis quæ vlcus respiciunt.

IAm ad vlcus accedamus, quod est detergendum, exsiccandum & cõsolidandum: priùs studendum exsiccationi tenuis saniei,& detersioni, tam crassi ichoris, qui ex omni vlcere plerũque fluit, quàm acrium humorum ad intestina delapsorum, qui propria visciditate vel muci permixtione tunicis intestinorum adhærentes, vlcus exasperant & cicatricem impediunt: vt autem exsiccare tenuius excremẽtum, crassius deterge

tergere valeamus, conſiderandum, an tenue, an craſſum inteſtinum laboret: nam ſi tenue, per os aſſumptis, ſi craſſum, infuſis & per clyſterem iniectis; ſi tenue & craſſum, ambobus potiùs vtendũ eſſe communis fert opinio; ideo valdè miratur Pereda, (cui ferè omnes practici conſentiunt) quòd Valeſius in omni Dyſenteria ſpem curationis collocet, tum in propinatis, tum per anum immiſſis; ea enim, quæ per os aſſumuntur, integris viribus craſſa non attingunt; vtriſque tamen perpetuò vſi ſumus Hollerij authoritate, & Dureti, in ſcholio, ratione, ad expurgationem materiæ, partium robur & meatuum libertatem; tum diſtinctione habita cauſæ antecedentis, vel coniunctæ, vlceris, ſymptomatum & fluxus. In omni

An omni Dyſenteriæ ſumpta, & iniecta conueniant.

itaque Dyſenteria per os ſumi debent quę cauſam antecedentem refrigerant, incraſſant, euacuant, reuellunt, aſtringunt, reprimunt: per clyſterem immiſſa nihil aut parum opis afferunt repulſioni, refrigerationi, incraſſationi cauſæ verè antecedentis, vlceris gracilium inteſtinorum; conſecutionis tamen motu cum humores ex mezenterio, & viſceribus attrahant clyſmata, loco purgationis principio morbi ſuſpectæ, vel potiùs ægri inobedientia reiectæ, ex catholico, melle roſato, decocto remolliente, detergente clyſterem vni præſcripſimus, qui copiosè ſatis anum mouit, & ſuborto dolori ſedando ſtatim alterum ex oleo roſato & guttis aliquot ſpiritus aniſi præſcripſimus: vlceris gracilium inteſtinorum dolorem, calorem,

rem, fluentiſque humoris per caua inteſtinorum acrimoniam mitigant, refrigerant, temperant clyſmata conuenientia: quoniam craſſa inteſtina, dum tenuia circumuoluunt, tepore liquoris quo replentur, eadem fouent, & qualitatis, tenuioriſue ſubſtantiæ vel vaporis per vias patentes,& cæcas communicatione recreant & leniunt, ſaltẽ aduersùs decurrentis inteſtinorum vacuitatem humoris acrimoniam, vlceriſque duplex excrementum,humilia inteſtina muniunt; ſic, ſi non vlceris curationi auxiliãtur,ipſius propagationi cohibendæ proſunt: aſtringentia clyſmata fluxum ſiſtendo inteſtina roborãt, & fluxionis impetum, aſſumptorúmque celerem tranſitum retardant: In vlceratis humilibus inteſtinis, per os aſſumpta

poſſunt

possunt dolorem lenire; sic sæpiùs expertum est colicum dolorem propinatis subitò disparere; detersionẽ & exsiccationẽ eorum vlceris promouere etiã possunt, & sunt omninò necessaria in vlcere extremum coli, & cæcum occupante; quia eò rariùs clysteres, fluente aluo, impulsi, illud detergere & cicatrice obducere minùs possunt, quàm per os assumpta; tum quia excrementa chyloseos sumptorum naturam redolent; vnde prima mensa sumptis leniẽtibus aluus plerisque mouetur, tum quòd fluxus tempore ex ventriculo portiones quędam alimentorum, (quę debent esse medicamentosa) & medicamentorum (quæ stomachus minùs amplectitur) indigestæ ferantur celeriùs ad intestina, motu peristaltico raptæ,

humo

humorum acrimoniâ inferiora versùs deterſæ, & à venis mezeraicis, vel languentibus, vel expulſioni nimiùm vacantibus non ſufficienter attractæ.

Detergentia. Iam verò, tum, doloris, tum ichoris & vlceris in detergentiũ electione ratio habẽda eſt: ſi dolor vlcus exaſperet & nimiùm vrgeat præſente ſcopo deterſionis, conueniunt quæ detergendo leniunt, vt lac calybeatum, vel recens mulctum cum ſaccharo roſato, vel melle roſato, & ouorum vitellis, aut oleum roſaceum cum ſæuo hircino, therebentina pauca, cuius loco ſcrup.j. vel drag. ſem. olei illius chymicè extracti, aliquando addidimus, vel aliquid olei amygdalarum amararum: vlceri complicato cum multa caliditate contulerunt detergendo refrigerantia, vt ſerum calybea

beatum, ſuccus plantaginis; lac
aſininum vſtulatum fuiſſet vti-
le, quibus perpetuò vitelli ouo-
rum miſcendi ſunt; decoct. etiã
hordei, furfuris macri in lacte
factum; iuſcula hordeata dilu-
tiſſima cum ſaccharo roſato, &
vitellis ouorum: ſedato dolore,
& calore temperato licitum
fuit vti merè detergentibus, vt
decocto hordei, furfuris, agri-
moniæ; ſucco agrimoniæ, apij
& ſimilium; decoctum vulne-
rarium & aquam catapultorum
nonnulli laudant: confert mel
roſatum; hydromel, & vbi craſ-
ſiores ſunt ichores, decoctum
cicerum rubrorum, centaurij,
abſynthij, lupinorum; in putri-
dis verò & ſerpentibus vlceri-
bus permiſcent ægyptiacum, &
cauſticâ vi præditos pulueres
& trochiſcos diſſoluunt; qui-
bus in hac populari Dyſenteria
nun

nunquam fuimus vſi, quia tormina ſolo vſu leuiter detergentium ſæpiùs augeri obſeruatum eſt,& afflictio maior iis inferenda non eſt, qui vlcera hæc patiuntur incurabilia; itaque ſceptica clyſtere iniecta, inteſtina ſana muco tunc temporis plærumque deſtituta lædunt, vlceribuſque inflammatis maius incendium imprimunt: ſeniorum tamen vltimi iudicioſam & audacem medicinæ procerum ęmulationem non damnamus, qui in honeſtiſſima vxore ſua prægnante ægyptiacum ex lacte iniectum fœlici cum ſucceſſu expertus eſt, non tam ad vlceris quod paruum erat, quàm ad pituitæ viſcidæ quæ in excretis apparebat, rectum vellicantis, aliorúmue detergentium vim eludentis deterſionem, ideoque excluſa pitui-

Obſeruatio.

ta

ta in globulum non minimum circumuoluta, tenesmus, ventrisque tormina disparuerunt, & sanitatem paulò post recuperauit ægrotans. In serpentibus putridisque vlceribus Rondeletius, quæ valde sine morsu exsiccant, laudat, aquam scilicet calcis decies lotæ & dissolutum alumen in decocto conuenienti: aqua ex alumine solo per distillationem parata valdè exsiccat, refrigerat, deterget; non minùs dulcedo Saturni; quibus (quamuis ea non improbemus) assumptis aut iniectis, nullus eorum, quibus opem tulimus, vnquam vsus fuit: flores sulphuris quoniam exsiccant, detergunt, putredini resistunt, caloris vix sunt participes, vermes enecant & ad circumferentiam pellunt, innoxiè præscribi potuerunt: ex his varia

ria remedia per os ſumpta aut per clyſterem iniecta compoſuimus: exempli gratia. ℞. *hordei integri, furfuris macri an. p. j. folio. agrim. vinc. peruinc. an. m. j. fo. plantag. m. ſem. ſemin. coryand. dra. j. paſſulas integras n. xvj. roſ. rub. p. j. ſcordij p. ſem. coque in aqu. calyb. q. ſ. de col. clarif. capiat vnc. iiij. ſero & mane hora commoda cum vnc. j. ſyr. granat. & vnc. ſem. mel. roſ. & ſcrup. j. confect. alcher.* ℞. decoct. furf. macri, fol. vinc. peruinc. ſymphyti, roſarum rubrarum vnc. viij. tantùm; olei amygdalarum amararum vnc. ij. olei thereb. chym. extracti. drag. ſem. aq. roſ. vnc. j. m. f. clyſter. vel ℞. ſeri lact. capr. vnc. viij. decoct. hord. calybeatę vnc. iiij. mellis roſati vnc. j. ſem. ſacc. roſ. vnc. j. m. f. clyſt. Quoties dolore multùm vrgente deterſioni fuit incumbendum, iſtud

clyſma

clyſma fuit vtile. *℞. ol. roſ. & amygd.amar. an. vnc. iiij.ſeui hircini vnc. iij. m.f. clyſter.* concreſcens intra inteſtina ſeuum, dum excluditur, mole ſua recti potiſſimũ inteſtini vlcus emundat,& ſua acri ſubſtantia deterget , & leniendo humorum acrimoniam eludit , vnà cum oleis,quæ ſic iniecta vlceris ſordes detergunt potiùs quàm augent , & minorem quam inferunt noxam , vis eorum anodyna & potenter tormina demulcens compenſat : ſi copia extitiſſet Balſami Rulandini,(quod ter ſumpſit quædam ægrotans cum fœlici ſucceſſu) libenter vnc.aliquot poſt deterſionem, clyſteribus additæ fuiſſent. Ab his detergentibus ad aſtringentia tranſeundum , interpoſitis quibuſdam ore ſumptis, & clyſteribus partim aſtringentibus,

partim

partim detergentibus.e.g.℞.*de-coctionis hord.integ.ſemi.coryand. roſ.rub.clarific.*vnc.iij. ſem.ſyrupi de ſymph.vnc.j. ſyr. de roſ. ſicc. vnc.ſem.terræ ſigill. ſcrup.ſem. vel ſcrup. j. m. f. Iul. ℞. decoct. fol. centino. tapſ. barb. roſ.rub. hord.furf.quart.iij. mel. violac. vnc. j.ſem. ſacch. rub. vnc. ſem. vel drag. vj. vitellos ouor. n. ij. m.f.clyſt. ſequens magis aſtringit ℞. fol.burſ.paſt. ſummit.hyperic.ſymph.an. m. ſem. ſemin. cydon.drag.j.ſem. roſ.rub. flor. tapſ. barb.an.p. j. baloſt. p. ſem. coque in lactis caprilis q. ſ. col. quart.iij. diſſolue duo oua integra in domo ægrotantis.

Clyſterũ quantitas.

Clyſterum detergentium & aſtringentium quantitatem augent aliqui ad lib.j. ſem. vel lib. ij. quoniam inanita inteſtina tantam liquoris quantitatem recipere poſſunt, ſicque meliùs

tergun

terguntur vlcera propter celerem transitum, tantam enim quantitatem ipsa intestina citissimè expellunt: alij contra non modò in isto profluuio vẽtris, verùm etiam in quouis alio quantitatem clysteris præscribunt minorem vna libra, ne suo pondere noceat, facultatem retentricem lædens, iamque dolentium intestinorum nimia distensione cruciatus intendat, & eius parua in illis mora ob celerem exclusionem non sufficienter deterguntur vlcera, & multò tardiùs cicatrice obducuntur; astringentium enim vis lenta non momento, sed notabili temporis spatio indiget, vt sese exerat, partibusque vlceratis sigillationem imprimat; quibus assentientes nunquam clysteres in magna dosi infundere iussimus; nisi rectum vlcere liberum foret.

Merè autem aſtringentia vlceri conſolidando & fluxui ſiſtendo competunt, quibus ſarcotica nonnulla miſceri ſolent: vnde aſtringentium alia ſunt, quæ fluxum reſpiciunt & conſtrictiua dicuntur, quorum vſu intendimus alui fluorem conſtringere, alia verò fluxum ſimul, & vlcus reſpiciunt; vnde Rondeletius clyſterem duplicem proponit, vnum conſtrictiuum tantùm, alterum ſimul conſolidatiuum, quibus quando opus fuit vſi fuimus. Per os ſumuntur plurima tum ſimplicia tum compoſita diuerſis authoribus probata, quibus nonnunquam delectati fuimus, ſed illis omnibus prætulimus puluerem Dyſentericũ magiſtralem Crollij, & puluerem Dyſentericum de thure diſtinctionis gratia à nobis nuncupatum.

Adſtringentia.

℞. thuris

℞. thuris drag. iij. mastiches, boli armen. an. drag. ij. coralli rub. ppati, cornu cerui vsti an. drag. j. lapid. Hęmatitis vsti scr. ij. fiat puluis. Hic venit notandum succos accaciæ, hypochistidos & pulueres vegetabilium præferendos esse mineralibus; quoniam hæc, vt alchool etiam pulu erata, vlcus magis exaspe-rant, & non adeò penitiùs subeunt.

An astringendum omni tempore Dysenteriæ.

Iam dissoluenda sunt duo; an in omni tempore Dysenteriæ essatu dignæ, astringentibus, & in variegatis alui deiectionibus, summè astringentibus sit vtendum: prioris quæsiti negatiuam tuentur plurimi; videndum, ne astringentibus vtamur, inquit Hollerius, astringentia febrem augent, & inflammationem; vitiosam materiam prohibent, ne effluat;

Opinio negans.

eaque

eaque prohibita regurgitat in partes ſuperiores: & paulò ante inquit, nec de aſtrictione, initiò cogitandum eſt; & à nobis rhei torrefacti vſus morbi principio fuit condemnatus. Duretus etiã aſſerit ex Hippocrate, Dyſenteriam omnem intempeſtiuè ſuppreſſam, apoſtaſim facere, vel in viſceribus ipſis vel in articulis; multos etiam alios affectus Dyſenteriæ citiùs aſtrictæ accidere, ſuperiùs declarauimus, cęterique Medicinæ authores propriis experientiis confirmant. Hollerius vidit ſcabiem totius fœdam ſucceſſiſſe, & nos in puero octo annorum, tineam: intempeſtiuus præterea aſtringentium vſus non modò multorum morborum ſuperuenientium cauſa eſſe poteſt; ſed plerumque etiam Dyſenteriam immedicabilem reddit; vlcus

enim exasperant astringentia suáque austeritate & acerbitate diuellendo, & comprimendo augent.

Affirmãs opinio cũ septem considerationibus. Prima.

Verùm, cùm superiùs annotauerimus, omni Dysenteriæ tempore fore vtilem astrictionem, sciendum est primò, astringentia præscribi, vel vt fluxum sistant, vel vt illius augmentum cohibeant roborando ipsa intestina; hoc vltimo modo quouis Dysenteriæ tempore astringentia præscribi debent, vt intestina roborata, fluentes humores nõ tam facilè excipiant, & in suis anfractibus latentes, motu peristaltico citiùs excludant; priori modo, nunquam præscribuntur morbi principio.

Secunda.

Secundò sciendum est, quòd maior quantitas astringentium præscribi debet sistendo fluxui quàm eius augmento retardando,

do, & huic debilia aſtringentia, illi fortia deſtinantur.

Tertiò ſciendum eſt, quòd aſtringentia alia ſint mitiora, alia fortiora; illis tutò quouis tempore; his raRò ante ſtatum vti debemus, aut tantùm in parua admodum quantitate poſt generalium vſum. *Tertia.*

Quartò notandum eſt, quòd aſtringentia alia ore ſumuntur, alia deforis admouentur, alia denique iniiciuntur: aſſumpta ore minùs nocent iniectis; hæc retinent in inteſtinis humores morbificos, illa verò comprimendo exprimunt, & detergunt; vnde etiam in augmento conferunt vlceri debita quantitate vſurpata, iniecta verò niſi in fine, maximè ſi ſint auſtera: externa primis elapſis diebus, lumbis applicãtur innoxiè, quia intercipiunt; abdomini verò *Quarta.*

applicanda ſunt in ſtatu & fine, ne corpore pleno pellant versùs inteſtina, niſi ſint leuia: pedibus quidam applicant, ſed non modò ſine fructu, verùm etiam cum detrimento, quod parit euidens ad ſuperiora tranſmiſſio; ano applicantur vtiliùs, quia inteſtina roborando repellunt.

Quinta. Quintò in materia maligna temperantes eſſe debemus in vſu aſtringentium, maximè ſi acerba & auſtera ſint; pariter ſi fluxio adſit cerebralis; hic timenda eſt anadrome catarhi ad pulmones, cerebrum & cæteras partes; illic caloris extinctio ſeu diſſolutio.

Sexta. Sextò, verè multũque aſtringentia nunquam ſola præſcribuntur, ſed lenientibus miſcentur, & per os ſumenda ſimul cum vrinas mouentibus, ſic enim fit vt aſtrictio vlcus non

diuel

diuellat, & ſine mora prohibitus humor per vias vrinæ dicatas deriuetur, nec refluat ad partes principes, nec tranſitu ſuo lædat, mixtione lenientium & refrigerantium priùs temperationem adeptus.

Septimò, verum tempus vſurpandi validè aſtringentia, tum ad fluxum ſiſtendum, tum ad vlcus conſolidandum, eſt; cùm maxima humoris peccãtis portio ſponte vel arte deducta eſt, factáque fuit reuulſio, & deriuatio; aut cùm diuturna fuit Dyſenteria, quæ metum langoris virium affert; vnde viribus non oppreſſione, ſed diſſolutione effœtis, omni conatu fluxum cohibere tentandum eſt: viribus autem conſtantibus, deterſo tantùm vlcere, quod cognoſcitur ex pauca ſanie, ſeu pauço excreto vitioſo, & pu- *Septima.*

rioris ſanguinis excretione.

An in variegatis deiectionibus ſit adſtringendum.

Ex his facilè diſſolui poſſe quæſitum alterum videtur; etenim ſi variegatæ deiectionis minor ſit quantitas, diuturno exiſtente alui fluxu, multùm erit aſtringẽdum; ſi maior fluat proluuies, præſente virium robore non eſt multùm aſtringendum: viribus debilitatis, aſtrictioni validè incumbendum erit per interualla: ſed viribus etiam validis & vlcere exiſtente notabili quidam variegatarum deiectionum tempore Dyſenteriam diuturnam ſummè aſtringentibus curant, maximè ſi more diarheæ bilioſæ inceperit, & cum torminibus affligat, ipſumque Medicum imprudentem & inhumanum vocant, ſi purgantibus vtatur, & verè aſtringe ntibus & exſiccantibus ore ſumptis cum

Opinio affirmãs.

feruo

feruorem temperantibus abſtineat, nec ſuis rationibus deficiunt: multùm enim eſt aſtringendum, tum vt turbatio humorum omnium in corpore exiſtens ſiſtatur, tum ne vlcus variegatarum deiectionũ tempore magnum ad perniciem augeatur perenni humorum fluxu; tum vt omnes naturales facultates labefactatæ, & veluti reſolutæ (potiſſimum ipſa retentrix) roborentur; tum vt alimẽta retineantur, coquãtur, diſtribuantur, ipſique laborantes refici poſſint, tum quòd nullus ſit metus palyndromes funeſtæ; nam vel aſtringuntur ſola inteſtina, vel ſimul viæ, per quas defluunt humores ad inteſtina; in iſto caſu humores intra venas contenti, cùm benignis aliis ſuccis, & lenientium cum aſtringentibus mixtione

temperentur & deriuatione excludantur, possunt sine incommodo intromeare. In altero casu impossibile est, quæ sunt intra intestina regredi ad partes principes: addamus quòd astringentia ore sumpta motum peristalticum iuuando, vlceris ichores deorsum pellunt; sicque ipsum detergunt, copiosiùs per initia, eorum vsu, aluo deiiciente: vnde proceres Medicinę Græcę vix alia pręscribunt remedia Dysenteriæ curandæ præter ea quæ valdè exsiccant & astringunt; quare præmissis generalibus & fluente diutiùs aluo cũ torminibus, & variegatorum excretione multùm astringentibus per os, primùm solis, postea per inferiora etiam iniectis vtendum. In oppositum tamen duæ potentes afferuntur rationes. Prima, quòd Medicorum

Negans opinio.

rum communi consensu, deterso tantùm vlceri & carne repleto, cicatricem inducentia, qualia sunt astringentia & siccantia, conueniunt. Secunda, quòd intempestiuè suppressam Dysenteriam, symptomatum prauorum ilias subsequi solet: at quoties vlcus non est detersum, & ichores praui, multíque humores fluunt, aluus tempestiuè sisti non potest; suppressio enim illegitima censetur ea, quæ pessimum cohibet humorem, qualis est variegatus; ergo multùm astringentia præscribi non debent in variegata alui deiectione, quam tempestiuè supprimere non possunt. Antequam solutionem dubij proponamus; supponendum est primò, duobus modis in massa sanguinea humores comprehendi: vel enim confunduntur,

Ad solutionem notantur duo. Primum.

vt aqua & vinum commixta, & proprias formas retinent ſolius ſanguinis prædominantis colore tincti, vel potentia tantùm ineſſe creduntur; ita vt bilis naturalis alimentalis vaſis contenta, ſit tenuior & calidior ſanguinis portio, quæ formaliter ſit ſanguis,& ita de reliquis. Prior modus veritati eſt magis conſonus, quod ipſæ Dyſentericæ excretiones variegatæ manifeſtè teſtantur: vidimus enim in euſarcis Dyſentericis aluum cum variegatis excretis,fluxiſſe per viginti & aliquando quadraginta dies,& euaſiſſe; vix tamen toto fluxus tempore vnam aut alteram libram ſanguinis pluribus interuallis fuiſſe excretam : verùm ſi non eſſent confuſi intra vaſa humores,magis ſanguinolentæ deiectiones apparuiſſent ; non eſt enim cre-

dibi

dibile tantam copiam excrementitiorum humorum naturalium, & contra naturam coaceruari circa viſcera, & extra proprias ſedes in vaſis contineri, homine exiſtente ſano & euſarco, quanta per hanc Dyſenteriam popularem excreta fuit. Secundò, notandum humores in maſſa ſanguinea contentos mutua cõmixtione temperari, ſed ſeparatos maximè à ſanguine, relinqui propriæ naturæ, & vlcus attingentes deprauari ichoris tenuis & craſſi permiſtione: quare dicendum eſt, quòd variegatæ fiunt deiectiones, vel mixtione humorum excrementitiorum, vel humorum alibilium à maſſa ſanguinaria fluxus conſequutione ſeparatorum; hîc tutò & citò debemus confugere ad auxilium aſtringentium, quibus hu-

Secundū.

Solutio.

mores alibiles fluẽtes cohibiti, & repulſi intra propria vaſa nullam poſſunt inferre noxam pręmiſſis generalibus, imò iuuant, quoniam nutritioni ſunt vtiles, & neceſſarij: illîc verò tardiùs, & in diuturna tantùm Dyſenteria generalibus præmiſſis, ad valdè aſtringentia conuolandum eſt; nec vllum inde incommodum enaſci poteſt, coctis humoribus excrementitiis ad fluxionem paratis;in hoc caſu ſumus vſi ſatis frequenter tinctura roſarum rubrarũ cum detergentibus, aut lenientibus mixta: ex his patet facilis oppoſitarum rationum quamuis difficilium ſolutio: deiectiones verò iſto vel illo modo fieri variegatas dignoſci poteſt ex antecedentibus,concomitantibus Dyſenteriam aut illi ſuperuenientibus.

CAPVT V.

De remediis, quæ ſymptomata Dyſenteriæ epidemicæ concomitantia, & ſuperuenientia reſpiciunt.

SYMPTOMATVM violentia tantùm poteſt in hoc alui profluuio, vt ſæpiùs curationem à ſymptomatis, doloris ſcilicet mitigatione, & multorum aliorum correctione exordiri, fuerit neceſſariũ: ideo hîc vel priùs ſymptomati quàm morbo, vel vtrique ſimul, vel ſymptomati, poſt morbũ prouidendum fuit: ea autem ſymptomata ſunt vel quæ comitantur, vt dolor, cruor; vel quæ ſuperueniunt, vt vigiliꝗ, ſingultus, vomitus, teneſmus, ani procidentia, oris ſiccitas, aphthæ, vrinæ diffi

difficultas, vel ſuppreſſio; viriũ imbecillitas; vel quæ malè curatam ſequuntur, vt dolores articulorum, flatulenti & aquoſi tumores, paralyſis, pareſis, alui aſtrictio, colli conuulſiua tenſio, & plurima alia; vel quæ nimiùm diuturnæ, vt tabes, lienteria, hydrops, & purulenta ſeu ſanioſa excreta accidunt; quæ quidem omnia propriam curationem expoſcunt.

Doloris cura.

Dolori conueniunt anodina, quæ vel cauſam euacuant, de quibus actum eſt, vel leniunt, vel doloris ſenſum auferunt. Lenientia ore ſumuntur, iniiciuntur, deforis applicantur, ſimul cum iis quæ vlcus & fluxum reſpiciunt, vt lac, hordeata, de quibus poſtea; oleum amygdalarum dulcium, vel commune recẽter ſine igne paratum cum ſaccharo roſaceo,

aqua

aqua roſacea, vel peculi roſarum, ſi magis ſit adſtringendum: ſi vrgeat calor, & fluxus, ſumendum eſt oleum roſaceum omphacinum, vel myrthillorum, cydoniorum recenter paratum, aut aqua roſacea vel plantaginis lotum: dum fuit detergendum, oleum amygdalarum amararum; ſi flatus fuerint admixti, guttulas duas vel tres aut plures olei aniſi chymicè extracti, vel portionem olei nucum recenter ſine igne confecti cæteris addidimus: nouimus quoſdam ruſticos torminibus Dyſentericis liberatos fuiſſe vſu frequenti olei nucum cum auellanis pulueratis: ſi vermes dolorem intenderent, aliquid myrrhæ cum ſyrupo de abſynthio in forma pilulæ ante vſum lactis propinatum eſt; vel ſemen contra vermes ſaccharo

cooper

coopertum vſus tempore cum panatellis, hordeatis & ſimilibus permixtum, vel ſyrupus de floribus perſicis cum aliquo oleo & aqua roſarum fuit exhibitus. Iniecta ſunt eadem anodina exceptis oleis in lumbricorum copia; præterea decoctum inteſtinorum veruecis cum florib. camomil. ſemine coryandri, hypericone, ſymphyto, & aliis pro rei vrgentia; vitelli ouorum perpetuò ferunt iniectis diſſoluti, & ſaccharum, quando opus fuit deterſione: & ipſa aqua plantaginis cum ſaccharo, & albumine ouorum agitata; vel ſeminis cythonioru͂ pſyllij in aq. plantag. extractæ mucilagines: abdomini admoti ſunt litus ex oleo roſaceo, maſtichino, cydoniorum: veſicæ ſuillæ aut bouinæ decocto remolliente & leuiter carminante,

te, vel oleo roſaceo, vel lacte tepente, in quo decoctio facta erat ſummitatum verbaſci, vel remollientium & carminantium, ſemiplenæ; vel fotus cum ſpongiis, vel filtris eorumdem infuſione madidis: omenta animalium tepentia proprio vel aſcititio calore; pipiones viui vel diſſecti: cataplaſmata ex mica panis, lacte, & floribus tapſi barbati. Si flatuum adeſſet copia, contulit oleum rutaceum; cataplaſma ex ſtercore bubulo cum lacte vel oleo communi vel nucum. Vermibus verò lancinantibus, vmbilici regio illita eſt oleo ſcorpionum Matthioli; quòd ſi dolor iis non remitteretur & vigiliæ vrgerēt, narcoticis quidem aſſumptis, nūquam iniectis vſi fuimus; hîc enim periculum eſt, ne narcoticum fiat necroticū, tum ob præſentē in-

Narcotica.

inte

inteſtinorum craſſorum ad putredinem & corruptionem apparatum, tum quòd maiori quantitate iniici, quàm aſſumi debet, vt ſomnum inducat, & partium ſenſum ſtupefaciat. Ideò quamuis theriacam recentem immiſcuiſſe per anum infuſis, cum multo doloris Dyſenterici ſolatio nonnullos gloriari, noſque illius paruam doſim ſæpiùs colicis doloribus à tenuis, acrioriſque ſucci acrimonia ducentibus originem per clyſterem iniectam certa experientia cõtuliſſe ſciremus, nunquam propter rationes dictas vſi fuimus opiaticis enematibus, ſed eorum loco non ſemel decoctum vnius aut alterius papauerũ alborum capitis cum ſemine cydoniorum & floribus camomillæ in lacte paratum iniiciendum curauimus ad vrentis

tis caloris mitigationem, perennisque in inteſtina fluxionis acrioris cohibitionem; quibus ceſſantibus aut multùm remiſſis, defatigata natura in ſpontaneã quietem delabitur ad eam parùm ſollicitata per vim papauerinam lacti leuiter impreſſam. Verùm, ſi quis in deſperatis narcotico, ex opiaticor. dr.j.cly. vtatur, ſicut nos inueniet, nec acriùs impugnantes, nec reprehendentes, quoniam violentos mortis quantumuis certæ dolores minuere, & intolerabiles cruciatus mollire quocumque remedij genere liceat; ita nos non contemnat monentes, priùs ſumptis quàm iniectis opiaticis eos eſſe demulcendos, niſi forſan gracilibus inteſtinis Dyſenteria correptis, & ventriculo male affecto, omnia craſſa illæſa maneant; quod in iſto

Dyſen

Dyſenterico fluxu nobis non contigit obſeruare. Cruoris ſiſtendi magna non preſſit neceſſitas in hoc populari alui fluxu, non ſemel tamen clyſteribus impoſitum eſt oleum hypericonis, dum ſanguis purior excernebatur;& tunc paratum etiam fuit clyſma ex iuſculo inteſtinorum veruecis calybeato,cum hypericone, ſymphyto, radice tormentillæ, & ſimilibus parato; hoc iuſculum ad doloris etiam ſedationem cum fœlici ſucceſſu propinatum eſt: puriorem ſanguinem profluentem ſupprimere valent ſarcotica cum lapide hæmatite & aliis aſtringentibus, ore ſumpta, vel per anum infuſa, ea cautione,vt rariſſimè pulueres in ſubſtantia clyſterem ingrediantur; quia partes vlceratas exaſperant.

Sangui. ſiſtentia.

Vomitus. Vomitus initio apparens non cohi

cohibendus, ſed ſollicitandus fuit, ſi minor appareret; quò enim natura vergit, eò ducere oportet, ſi loca fuerint conferentia; ſi copioſior, vel diuturnior cohibitus eſt; primò iis, quæ cauſam reſpiciunt, fluxionem putà à capite; humoris ex hepate in ſtomachum bilioſi tranſlationem; calidiorem ventriculi intemperiem,& flatuum copiam, & iſta ſuperiùs variis locis annotata fuerunt: Secundò topicis leuiter aſtringentibus, ſtomachicis temperatis,& leuiter carminantibus, vt eſt oleum nucis muſcatę cum oleo cydoniorum; ceratum ſtomachicum, cruſta panis torrefacta vino rubro tepente irrorata, puluer. aromat. roſ. ſynapiſata; aut pulu.nuc.muſc.aſperſa.Cucurbitulæ ſiccæ paruæ regioni fundi ventriculi applicatæ con-

tule

tulerunt, si calor multus non affuerit.

Singultus.

Singultus in hac Dysenteria semper ferè sequutus est ventriculi, vel excoriationem aphthis similem, non autem simpliciter inanitionem, quam siccitas ventriculi singultus causa sequitur, quæ fuit agnoscenda tantùm in illis, qui cibis & potu abstinuerunt; aliàs enim frequens ventriculi per assumpta irroratio, eius potuit impedire siccitatem: vel fuit symptoma hepatis inflammati. Venæsectione autem repetita, malacticis & parum astringentibus exteriùs ventriculo appositis, intùs sumptis refrigerantibus & detergentibus, vt emulsionibus quatuor seminum frigidorum maiorum, vel minorum, lacte amygdalarum dulcium cum aqua hordei calybeata parato; sero

ſero lactis calybeato cum ſucco cichorij, plantaginis, & ſimilibus illius curationem ſuſcepimus, & duos tantùm liberatos obſeruauimus: aliquando ſingultus ſequitur Dyſenteriam ante tempus ſuppreſſam: quidam quadraginta quinque annorum, ſolis aſtringentibus, & vino meraciori ſe liberat à Dyſenteria: venere ſtatim indulget, paulò poſt corripitur febre continua cũ dolore hypochondrij dextri leuiter tumentis, iactatione, vigiliis, aluo aſtricta, ſingultu, vrinis rubris, & papulis protuberãtibus in cute, veris ſcilicet exanthematibus rubris: iſtiſque vexatum ſymptomatis quarta morbi die ægrotantem viſitauimus; ſolis refrigerantibus & cardiacis temperatis intùs & extra; clyſteribus emollientibus; bis repetita ſangui-

nis

nis miſſione ex baſilica dextra, applicatis circa nates & lumbos cucurbitulis cruentis, lotione pedum ex refrigerantibus celebrata, ſumptis ſomniferis non remittebatur ſingultus, vrinæ rubor perſeuerabat; tandem paraphrenitide ſuccreſcente, ſanguis mittitur ex ſaphæna malleoli dextri, omnia ſtatim remittuntur; decimaquarta die ſudor erumpit vniuerſalis: meliùs habuit: vigeſima copioſiùs fluens morbum ſoluit; remanſit pedum œdematoſus tumor, qui paulatim diſparuit; hic ægrotans infuſione rhei ab alio Medicinæ Doctore præſcripta primo morbi die purgatus eſt.

Teneſmus. Teneſmus populari Dyſenteriæ ſuccedens cauſam habuit vel inflammationem, vel humoris acrimoniam; ideò curatus fuit iiſdem remediis, quibus

Dyſen

Dysenteria. Notandum est primò quoad prognosin, quoties adfuit tenesmus cum ani hiatu, ita vt clysteres iniecti statim elaberentur, aut cum tanta adstrictione, vt nihil intromitti posset, certum plerumque fuisse mortis signum; hîc tumor, illic facultatis retentricis resolutio adfuit. Secundò, prægnans tenesmo correpta, semper abortum passa est, & cum periculo, si grandior fuit fœtus. Dysenteria non est æquè funesta: à partu enim duas inuasit, remediis facilè obediens. Tertiò, iniectiones loco clysterum frequentes factæ contulerunt, & per interualla clysteres parua quantitate infusi. Quartò, fotus ex decocto tapsi barbati in lacte cocti, ano admotus, dolorem lenit, fluxionem repellit, acrimoniam temperat, suóque

tepore ſudorem elicit. Quidam
ſemicupium laudāt, quod nun-
quam in vſum reuocauimus;
ſuffumigia probauimus. Quin-
tò, vtilis fuit ſectio venæ mal-
leoli dextri poſt celebratam ex
baſilica dextra phlebotomiam.
Sextò, purgatio pluries fuit in-
utilis; vomitus autem vtilis.
Septimò, ano applicandæ ſunt
hirudines, tollendæ vel impe-
diendæ inflammationis, aut ca-
loris refrigerandi gratia. Octa-
uò, ſuppoſitorij loco, nos intra
anum aut lintea mollia, aut co-
tonem anodynis imbutum im-
mitti curauimus; quoniam il-
lud partes vlceratas diſtendens
lædit, & ſoliditate exaſperat.
Nonò, tumori gangrænoſo ani
etiam interiora obſidenti com-
modè applicantur, quæ ſummè
exſiccant vel eſcarā producunt.

Obſeruatio. An. 1621. mulierē quadraginta

annorum inuiſimus teneſmo cum febre correptam; nil intra anum iniici poterat; premente multùm deſidendi cupiditate parum muci ſubflaui excernebatur, tumor apparebat liuidus ſtatim ex toto ferè deliteſcens, donec nouum deiiciendi irritamentum rediret: miſſo ſanguine ex baſilica dextra, & per aliquot vices ſumpto ſero lactis calybeato, tumorem attigit cotone modò olei gariophyllorum camphorati, modò olei ſulphuris parua quantitate imbuto Magiſter quidam Lugdunenſis multæ experientiæ Chirurgus, tribus aut quatuor vicibus manè & ſero per biduum; fotu & iniectionibus factis ex ſero calybeato, in quo myrrha diſſoluebatur, & optima diæta, lumbiſque cucurbitularũ applicatione cruenta conualuit.

Ani procidentia.

Ani procidentiam ſolitis remediis non magna cum difficultate curauimus; difficilioris curationis fuit principio morbi contingens; fotu leuiter detergente & leniente anum lotam priùs, intromitti, & ſi morbi tempus permitteret, fotu multùm aſtringẽte retineri iuſſimus

Iſchuria.

Vrinæ ſuppreſſio accidit, vel priuatione ſeu auerſione ſeri ad inteſtina impetu rapti, vel ſympathia viciniæ recti inflammati, veſicam comprimentis: hîc topicis ad hypogaſtrium & perinæum; iniectionibus in vretram, & remediis inflammationem auferentibus, nullis ore ſumptis verè diureticis; illic verò diureticis ſolis opus fuit, cum iis quæ cauſam raptus ſeroſi humoris oppugnant.

Linguæ ſiccitas aphthæ.

Siccitati linguæ contulit refrigerans, & humectans, vt mu-

cila

cilago ſeminis cydoniorum in aqua communi parata, gargariſmata ex decoctione hordei, plantaginis cum ſyrupo violarum, limonum; aphthis curandis additum etiam fuit mel roſ. ſyrup. roſ. ſicc. ſal. prunel. quòd ſi naturã vlcerum malignorum ſpeciem quãdam anginæ æmulantium imitarentur, eas attigit chirurgię magiſter collyrio Lãfranci puro vel aqua plantaginis diluto, tuſis priùs ranulis.

Angina. Vni poſt Dyſenteriam ſuppreſſam angina acceſſit intus deforiſque abſceſſu terminata: hic iuuenis viginti quinque annorum Lotharingus poſt tres circiter hebdomadas à febris tertianæ intermittentis diuturnioris hyeme vltima eum affligentis profligata violentia, incidit, in cruenta ventris tormina, cui tum dolorum acerbita-

te, tum nimia alui deiectione, tum febre non mediocri ad extremam maciem vltimámque virium & vitæ periodum redacto, remedia validiùs adstringentia tam assumpta quàm iniecta & topica præscripsimus simul cum cardiacis, euchymis, polyæmis, & eupeptis, vt recreatis, & restauratis viribus, fluxúsque impetu represso, spiritum ferè iam exhalantem intra corporis ergastulum in longius vitæ spatium retineremus; eorum quatriduano vsu, quæ nec purgatione adstringendo lenienti, nec multis aliis allioticis, & roborantibus per plurium hebdomadarum spatium in vsum reuocatis, nec ipsa venæsectione ad vncias aliquot ter repetitâ mitior, sed econtra crudelior euaserat cum summo facultatum omnium lapsu, in totum

ferè

ferè ſuppreſſa fuit, ipſeque laborans expers ferè febris vires recuperare incepit: ſed paucis poſteà diebus illi ſuperuenit tumor externus, partem colli dextram occupans, & alius fauces deglutitionem multùm impediens obſeſſit cum febris augmento: iſti refrigerantibus, leuitérque detergendo aperientibus prouiſum eſt: anginoſis verò tumoribus poſt præmiſſa reuellentia, & deriuantia, priùs gargariſmatis refrigerantibus & leuiter repellentibus, litúque remolliẽte, & leuiter reſoluente: dein, iis in ampliorem molem auctis, & manifeſtè ad abſceſſum vergentibus, gargariſmate ex decocto ficuum, paſſularum, hordei cum melle roſato, necnon cataplaſmate ex farinæ frumẽti, baſiliconis & olei violacei, quant. ſuffic. compoſi-

to opem tulimus adeò fœliciter, vt paucorum dierum spatio internus abscessus spatula penitiùs intromissa disruptus fuerit; (detergentibus & siccantibus hic facilè cicatrice obductus est) postridie vi cataplasmatum apertus exterior pus copiosum euomuit; paulò post in parte nonnihil inferiori suppuratio contingens remediis iisdem exteriùs exitum quæsiuit; nuncque meliùs habēs pristinæ sanitati breuì restituetur magna tum victus, tum remediorum obseruatione, nisi summa macies febrisque perseuerans forsan sint impedimento.

Virium debilitas. Virium autem debilitati opem tulimus, non modò sublatione causarum, sed etiam optima diæta. Causa vires debilitans, triplex potissimùm fuit, nimius fluxus, dolor, & mali-

gnitas;

gnitas; huic cardiaca exteriùs, & interiùs temperata dicata fuerunt: dolori anodina; fluxui adstringentia, exsiccantia, incrassantia, & cætera superiùs satis commemorata.

Caput VI.

De diæta, seu recto sex rerum non naturalium vsu.

Diætæ vis maxima fuit ad accelerandam fluxus istius popularis curationem; ideò magna cum diligentia, summáque consideratione victum ægris imperauimus. Aër imprimis temperatus esse debet, & potiùs ad quandam caliditatem quàm frigiditatem declinare; æstuante tamen cælo per interualla licitum fuit fene-

Diæta.

Aër.

ſtræ alicuius apertione, aut aëris per flabellum agitatione, gratam conciliare refrigerationem, vt caloris moderamine ſuauior aura inſpiratu ægrum recrearet: perpetuò fuit depurandus aër ſuffimigiis exſiccantibus, & aromaticis plus minùs calidis pro ratione ambientis, & febris.

Cibus. Cibus modicus eſſe debet, ſi Aëtio, Fontanono, & nonnullis aliis credamus, vt partes copioſiori alimẽto deſtitutę, contumaciùs quem habent humorem reſeruent; nec tam facilè ab ipſis inteſtinis vlceratis attrahi permittant. Hos tamen deſeruimus in hac populari Dyſenteria multis rationibus moti. Primò, quia maximè debilitantur vires alui fluxu, quæ refici meliùs non poſſunt quàm cibo frequenter exhibito. Se-

cun

cundò, quoniam popularis hæc Dyſenteria redoluit naturam morborum malignorum & peſtilentium, in quibus, omnium Medicinæ praxim excercentiũ conſenſu, pleniùs ægri nutriri debent; tum vt humorum malitia frequenti aſſumptorum benignitate demulceatur; tum vt vires ſufficere poſſint, quas humorum κακοήθεια maximè diſſoluit. Tertiò, vt robore virium ſic cõſeruato, vel reſtaurato, magna poſſint ægri perferre remedia. Quartò, quòd erratũ in paulò pleniore victu commiſſum ſit leuius quàm in tenuiori, potiſſimùm cùm euacuatio ſiue ſenſui manifeſta, ſiue per halitum contingens fatigat: vnde animaduerſum eſt plurimos ægrotantes ex grauiſſima, & diuturna Dyſenteria fœliciter euaſiſſe, dum apetitu

ſollicitante, aut ſibi vim infe-
rentes, oblata alimēta frequen-
ter aſſumpſerũt. Vtilis ergo fuit
paulò copioſior cibus, ſeu fre-
quētiùs exhibitus habita ratio-
ne ętatis, cõſuetudinis, virium,
fluxus, ſymptomatũ, & ſimiliũ:
ſit idem euchymus, & coctionis
facilis, quòd facultas ventricu-
li chylifica langueat, & reten-
trix debilitate præcipuè labo-
ret; ſolidioribus itaque liqui-
diora, aut mediæ conſiſtentiæ
alimenta antepoſuimus, pręſer-
tim ſi febris adfuerit & æger
debilis. Quoniam autem cibus
non modò vires debet reſtau-
rare, ſed quantùm fieri poteſt
morbi curationem promouere,
debuit ille, pro diuerſo fluxus
tempore, lenire, detergere, ex-
ſiccare, & adſtringere; tanta-
que fuit alimenti medicamen-
toſi vtilitas, vt ſæpiùs iulepo-
rum,

rum, & apozematum alterantium loco ſequens iuſculum præſcripſerimus. ℞. *ptiſanæ infra ſcriptæ, & ante prunorum, paſſularum, liquiritiæ additionem paratæ q. ſ. fol. & ſummitatum plantaginis, pimpin. an. m. j. vel m. ſem. fol. acetoſ. portulacæ an. p. j. fol. lactucæ parum; ſummitates tres vel quat. recentis fœniculi; ſeminis integri melonum vel cucurbitæ paria 15 vel 20. coque cum pullo Gallinaceo, vel Gallina; cùm fuit detergendum, aliquando cum Gallo veteri; cùm incraſſandum cum pedibus arietis, vituli; quando magis aſtringendum, cum extremitatibus bouis, per horam vnam aut alteram; de colatura capiat vnc. iiij. vel vj. ter in die.* Cùm maiori fuit opus adſtrictione, aliquid rad. tormentillæ, vel biſtortæ; cum putredo cohibenda fuit, grana citri, limonum recentia addi

Iuſculũ alterans loco iulep.

addita ſunt ſub finẽ coctionis, ne nimio amarore iuſculum ingratum euaderet: plebeiis hominibus, vinóque aſſuetis modicum vini rubri auſteri iuſculis nonnunquam miſceri permiſimus: conſummata carniũ prædictis ſimplicibus alterata fuerunt, additis etiam aliquando ſeminibus cythoniorum, quæ leniunt, incraſſant, refrigerant, viaſque vrinæ detergunt: pinguedinem non eſſe à conſummatis remouendam, quia lenit, quidam conſulunt, quòd fieri poterit febre non multùm vrgente. Gelatinam raſuræ cornu cerui in aqua calybeata paratam, ſantalo rubro, & pauco croco aromatiſatam, ſaccharo conditam, ſuccos carnium perdicis, arietis, vituli, & iſtorum cordis pauco omphacio roſaceo, aut cocta ſimul

acetoſa, vel portulaca acidulos vſurpauimus, & aliquando reſtaurantia iuſcula.

Multi de lactis vſu ad nauſeam ferè tractant; nos eo ſemper fuimus vſi, niſi febris admodum ardens, aut partis alicuius internæ phlegmone adfuerit; noxam à cruditate, & flatulenta ſubſtantia promanantem, coctione, vſtione, mixtione ſacchari, gariophyllorũ, nucis muſcatæ, & ſimilium correximus: recens mulctum, nulla febre, nec multùm deiectione premẽte, cum pauco ſaccharo nonnunquam permiſimus. Initio fluxus competit potiùs caprillum, magis ſeroſum, & deterſioni aptius; primis elapſis diebus vaccinum, quia magis incraſſat, dum vlcus eſt ſigillandum, laudant ouillum, cuius inopia pultem ex lacte cum amylo, aut *Lac.*

farina

farina orizæ, vel fabarum sub-
stituimus, vulgus permiscere
solet ceræ albæ modicum.

Mel & sacch. Hic damnamus muliercularũ
morẽ, quæ multo saccharo ius-
cula ex lacte, hordeata & similia
dulcorant; nã facilè inflãmatur
& obstruit; aliqui præferunt
mel, quia magis deterget, calo-
rẽ eius mixtione aceti rosacei,
aut potiùs omphacij paucissima
quantitate temperant; lotione
conuenienti temperari posse
putamus: alij verò, saccharata,
& mellita, penitùs reiiciunt; sy-
ruporum itaque non tam fre-
quens debet esse vsus, etiam
acidorum, adstringentium; &
in parua quantitate cum aqua
conuenienti tantùm præsente
multo calore, & putredine, non
autem ex cocleari sæpiùs exhi-
beri debent & maximè si aph-
thæ ægrum afficiant.

Hordeatis laus debetur maxima, quibus nunquam ægri carere debuerunt; & propterea maxima cum diligentia domi ægrotantium vario modo parari procurauimus: leniens hordeatum paratum fuit ex hordeo optimo mundato in aqua calybeata cocto ad putrilaginem ſine contuſione colato, vel poſt contuſionem traiecto, ſi magis incraſſans optaremus: detergens, ſimúlque refrigerans ex ſolo hordeo integro, nec à ſua gluma denudato in ſufficiente quantitate aq. calybeat. non ad putrilaginem cocto, priùs tamen ante coctionem leuiter exſiccato, vt flatulentam ſubſtantiam deponeret, confectum fuit: ſi maiori indigeremus deterſione, tertiam partem furfuris macri miſcuimus cum hordeo integro leuiter exſiccato; ſed

Hordeata.

ſed aliquando parauimus maximè detergens ex tribus partibus furfuris macri, & vna hordei integri: in putridis verò vlceribus ex ſolo furfure cum aqua calybeata iuſculum paratum eſt, quod vt detergendis pulmonum vlceribus quidam practici conſulunt, ſic nos Dyſenteriæ curandæ proficuum cenſuimus. Leniens autem, & detergens paratur ex æqua portione hordei integri, & à ſua cortice denudati, cui ſi expreſſionis tempore amygdalæ dulces, ſeminaque melonum, vel cucurbitæ mundata addantur, fiet diureticum hordeatum, vt ſomniferum permixtione ſeminis papaueris albi, lactucæ, portulacæ: adſtringens verò hordeatum paratum eſt ex æqua portione hordei integri, vel mundati leuiter exſiccati, & orizæ cocta in quant.

ſuff. aquæ calybeatæ, in qua priùs decoctæ eſsēt radices tormentell. ſummitates ceraſor. acida. ſemina coryandri, raſur. ebor. cornu cerui; farinæ fabarum portio addita vim aſtringendi auget. Aſtringunt orizata, panatellæ cum amylo, & pauco puluere diatrag. frigidi; nunquam omiſimus permiſcere aliquid nucis moſcatæ, vel pulueris gariophyllorum ad robur ventriculi, & flatuū diſcuſſionem: ad ſaporis verò gratiam additum eſt saccharum roſatum in ſufficienti quantitate, pro natura febris & fluxus; ſalis etiam modicum ad apetitus irritamentum prouocandum.

Quoniam verò iuſcula, hordeata, & ſimilia quantumuis artificiosè parata non poſſunt ſatis adimplere ſcopos curationi Dyſenterię deſtinatos, varios parauimus pulueres cum

pauco iuſculo , aut hordeato, aut ouorum vitellis, vel aliis ſimilibus ſumendos:exempli gratia. ℞. *marg. pparat. raſuræ eboris, cornu cerui an. drag. ſem. ſeminis coryandri , coralli vtriuſque, lapidis Bezoardici orientalis veri an. ſcr. j. ſacchari roſati ad pondus omnium, fiat pul. doſis ſcr. j. ſi opus fuit virtute magis alexiteria, ſalis theriacalis ſcrup. ij. vel cineris viperarum ſcrup. iiij. addidimus*; vim aſtringendi auget bolus armena. terra ſigillata ad drag. j. vel ſcrup. iiij. mixta : huic pulueri addidimus aliquando ſcrup. ij. trochiſ. de ſpodio;aut etiam calybis ppati ; ipſum enim calybem reuerberatum conſolidandis vlceribus , & ſiſtendæ aluo conferre docuit doctus & elegans quidam Medecinę doctor, cuius conſilio hanc opiatam cuidam præſcripſimus. ℞. *Croci*

Pulueres iuſculis miſcendi.

ci martis per reuerberationem parati drag.j.ſem.terræ ſigillatæ, theriaces recentis vel mediæ ætatis conf. de hyacinth.an.drag. j. doſis drag.ſem.ter in die:loco puluerum præſcriptorum ęgris ſuis ab eodem Doctore exhibitum ſequentem puluerem obſeruauimus.℞. *ſal.corall. vtriuſque an. drag. j. ſem.* ſal. perlarum drag.j. cornu cerui ſcrup. ij. terræ ſigillatæ, vel boli armenæ ppatæ dr. ſem. ſacchari roſati ad pondus omnium: non dubitamus hunc Medicinæ doctorem collegam noſtrum, præclara & proficua multa habere remedia pro Dyſenteria, quorum iudiciosè, & fœliciter fecit ille periculum, tũ anno 1607. dum Dyſentericis,& in vrbe, & in Noſocomio & extra vrbem auxiliaretur; tũ anno 1625. dũ alios, & ſeipſum ab huius ſæuitia expediuit, vti-

lis

lis fuit puluis æqua constans portione nucis moscatæ, vel macis, balaustiorum, granorum kermes, sacchari rosati. Plurimi rustici vsum gallarum pulueratarum ad drag. sem. cum pauco iusculo, vel hordeato statim à mixtione sumendo, ne nigrorem contrahat, bis in die cum fœlici successu post octiduum morbi, experti fuerunt; pari etiam fructu cum nostro consensu vnc. j. vel vnc. ij. aquæ glandium, cydoniorum, rosar. & similium adstringentium cum iusculis, aut pauco vino rubro austero vsurparunt, quamuis authoribus nonnullis improbentur aquæ per vasa plumbea distillatæ, quòd per ductus plũbeos aqua pluuialis vel fontana defluens soleat creare Dysenteriam, ideo cum vasis vitreis parandas censent, quibus etsi

Aquæ per plumbum distilatæ vel fluẽtis vsus.

assen

aſſentiamur, earum tamen defectu, nō omninò illis abſtinuimus, dum detergendum, exſiccandum, & adſtringēdum fuit; permixtione enim balſami ſaturni dulciores euadunt, non autem acriores, niſi ex ſimplicibus calidioribus, vel acrioribus diſtillentur: nec minùs exſiccāt, detergūt, adſtringūt. Nihilominùs aquā pluuialē, & fontanam per canales plumbeos prolabētem, vt etiam aquas diſtillatas pro potu ordinario damnamus; has, tum ob ingratum ſaporem, ſalis proprij defectu & priuatione ferè totali productū, tum ob ſalis ſaturnini nutritioni inepti, nec viuentibus ſymboli permixtionem; proſunt itaque vt medicamentoſæ, non verò vt alimentoſæ: fontanas etiam eiuſmodi reiicimus, quia longitudine ductus plumbei ſalſedi-

dinem

dinem contrahunt mixtione tenuium partium crustæ cuiusdam, quæ cerusæ naturam redolet, acrioris intra canales morâ & diuturno aquarum fluxu genitæ; huius autem crustacei tegumenti causa efficiens & materialis depēdet ex plumbi substantia acriori, & sale aquis subterranei immixto, necnon exhalationis condensatæ, vel terrenæ substantiæ exustæ mixtione; quod curiosiùs indagare præsentis non est instituti: pluuiosas illas deteriores censemus; quoniam sordibus multis inquinantur, & crustaceum illud acrius concauitati meatus plumbei accrescat, genitum ex sordibus ab aqua pluuiali tecta ædificiorum detergente intra ductus plumbeos raptis; in clysteribus tamen detergentibus & exsiccantibus cuilibet alteri aquæ

aquæ harum alterutram colatam & calybeatam libenter anteponimus.

Panis. Panis principio morbi non debuit esse omninò à furfure repurgatus: vtilis esset constans quinta parte farinæ secalis, quarta parte hordei, & tribus partibus frumenti pauco coryandro & sale conditus: ex biscocto, pauca quantitate croci imprægnato confectæ panatellæ probè coctę cum iusculo carnium calybeato, declinãti morbo, & astringendo fluxui prosunt: panis secalis succo granorum maturorum ebuli ter nutritus, exsiccatus & pulueratus cum quinta vel sexta parte nucis moscatæ dum est detergendum & exsiccandum ad drag. ij. bis in die cum iusculo aut hordeato dilutiore robustis concedi potest; dotes ta-

men ab aliquibus illi attributas
euentus non comprobat.

Fructus. Acetaria cocta nunquam, quia flatulenta, & stomacho sunt grauia, pyrum quidem excauatum, ęqua portione sacchari, thuris, mastices plenum, & in clybano coctum, sæpiùs; sorbas verò cũ butyro intra discum coctas sub finem coctionis addito saccharo; & mespila, similisque facultatis fructus ante cibum, dum fuit astringendum, semper concessimus.

Quoad potum, varię sunt authorum sententiæ, quibus proponendis, explicandis, refutandis, vel admittendis non immodis, vel admittendis non immorantes sententiam nostram aperiemus: in hac Dysenteria vix

Vinum. in totum vino abstinuimus: absente febre quartam partem; vrgente verò, si fuit symptomatica sequens humorum calidorum

rum agitationem, quintam vel ſextam partem; ſi fuit ſymptomatica ſequens inflammationem iecoris, inteſtinorum, ventriculi, vel alterius partis, octauam, vel decimam partem conceſſimus; parem etiam quantitatem dum febris ex humorum intra vaſa maiora putredine ardens eſſet; ſic calori non nocuit & vires recreare, malignitati reſiſtere potuit, fluxúſque impetum moderari, ſi fuit ſubausterum paſtus tempore exhibitum, vnius aut duorum annorum; antiquius aut exoleuit, aut acrius eſt: in vrinæ ſuppreſsione album contulit oligophorum: extra paſtus ſiti premente, vſus fuit ſyruporum granatorum, granorum ribes, cydoniorum & ſimilium cum aqua, aut decocto mixtorum.

Aqua pro diluendo vino.

Aqua autem pro diluendo

 vino

vino vel syrupo sit fontana, aut pluuialis ęstiua aëre libero vasis conuenientibus excepta, in qua calybs sæpiùs ignem antea expertus & ignitus extinguatur, aut silices candentes à cineribus emundati deferueant : aut aurum ardens immergatur : aquã putealem damnat Aëtius, quia subsalsa est, & ventrem turbat : huius tamen cruditatem, quæ maior vel minor est in diuersis puteis pro ratione situs, originis, agitationis aquæ, amplitudinis, & profunditatis putei, & similium rerum (quas obseruant ὑδροκρίται,) coctio, vstulatio, mixtióue seminis coryandri, cinnamomi, santali citrini & similium facillimè corrigit; salsedo autem non reperitur in omni aqua puteali. Extra pastus etiam ptisana frequens fuit vtilis. ℞. *hordei integri*

Ptisana.

tegri

tegri p.ij.rad.gram.vnc.j. rasur.cor. cer. vnc. sem. coque in libr. 8. aq. calyb.per horam,post adde fol.vinc. peruinc.p.j.semin.cory. drag.sem.& primis elapsis diebus summitatum cerasorum acidarum p.j.semin. plãtag.drag.j. coque iterum leuiter,& adde paulò post passulas integras numero xx. pruna dulcia numero x. nam non est multùm remolliendum, ne debilitentur intestina, aut faciliùs fluxionem recipiant, & vt ventriculus roboretur: quando opus fuit maiori astrictione, addita fuit vncia vna vel vncia semis rad. bist. vel torment. (ex tormentilla cum aqua deaurata paratur decoctum pro diluendo vino malignitati vrgenti optimum) conditura aromatis. fuit pauco santal. citrin. aut aquæ calenti percolatæ & calyb. ab igne remotæ nucem mosc. in quatuor

frustula diuisam proiecimus: aliqui infundunt masticem: aliquando ex tribus santalis in aqua deaurata vel calybeata calente infusis cum pauco spiritu vitrioli tincturam parauimus vtilem admodum pro diluendo vino: nonnulli tincturæ rosarum aliquid vino priùs diluto, cõsilio nostro miscuerunt: terram sigillatam, bolum armenam in nodulo positam tum aquæ, tum vino infudimus: plebeij matutinis horis sumebant vinum rubrum subausterum dilutum tribus vel quatuor partibus aquæ glãdium & similium astringentium hora vna ante cibum cum leuamine: omnem cibum cum leuamine: aqua carnium cum astringentibus vase vitreo duplici distillata in pueris vino permixta fuit: calidiusculus perpetuò fuit potus. Verùm an paucus, an multus?

Quantitas potus.

tus?certè quantitas potus ratione fluxus & ventriculi pauca esse debuit, ventriculi enim robur in siccitate consistit, & potus multitudine retentrix illius & intestinorum debilitata læditur:augenda nihilominùs vel imminuenda fuit potus quantitas pro diuerso respectu acrimoniæ,febris, viscerúmque caloris; si verò febris magnitudo vrgeat & robustus sit æger,sitis premat, magnusque circa præcordia percipiatur calor,adsit febris ardens, vel ventriculi erysipelas, aquæ frigidæ vsum quidam permittunt, cuius vtilitatem experientia confirmauit: sexta morbi die puellam decem octo annorum, eusarcam,tertia morbi die à pharmacopæo purgatam visitauimus, vocati an mittendus esset sanguis:febris aderat multa,pulsus

Hydroposia.

debilis, vomitus frequens, iacta-tiones importunæ, capitis dolor multùm crucians, linguæ ſicci-tas cum nigredine, aluus varie-gatos deiiciebat humores mul-tùm fœtentes, vinum reſpue-bat: omiſſa eſt venæſectio: ap-plicatæ ſunt lumbis & ſcapulis cucurbitulæ cum ſcarificatu, & cætera conuenientia pręſcripta ſunt; nobis & parentibus inſciis bis aut ter quotidie per quatri-duum hauſtu magno frigidam ſumebat ab ancilla exhibitam; vomitus ſequebatur ad reuul-ſionem vtilis; incepit meliùs habere, & paucis remediis pau-latim conualuit intermiſſo fri-gidæ potu, cuius loco pars octa-ua vini cum aqua calybeata permittebatur. Circa horam octauam noctis, die fluxus quin-ta viſitauimus iuuenem trigin-ta annorum, conquerentem de-

calore

calore insigni circa præcordia post vsum vini puri antiquioris eadẽ die magno haustu sæpiùs sumpti, excretiones alui multùm biliosę in exitu suo anum summo calore vexabant, nobis tangentibus calor accerrimus deprehensus est, facies erat rubore suffusa, pulsúsque vehemẽs, vrinęque color intensè ruber, statim propinauimus vnc. x. frigidæ à duabus horis ex puteo haustæ, quæ sitis importunæ, calorisque viscerum præsentaneum fuit remedium, imposterum decima pars tantùm vini concessa fuit: hora decima clyster ex solo lacte calybeato iniicitur; reiecto, sumpsit hordeatũ & quarta matutina vnc. vj. emulsionum quatuor seminum frigidorum maiorum, & amygd. dulc. mund. in aq. hordei calyb. paratarum cum pau-

co ſaccharo, priùs illitum eſt hypochondrium dextrum cerato ſantalino frigida loto & lumborum regio vnguento roſaceo: ſeptima matutina, apertione baſilicæ dextræ (quam de nocte renuerat) ſanguis calidus multùm, ſummo impetu fluxit ad vnc.x. cæteris pro re vrgente præſcriptis circa decimũ quartum diem conualuit; cucurbitulæ cruentæ, locum venæſectionis virium metu ab ægro reiectæ, quam denuò celebrandam ſuadebamus, cum fructu ſuppleuerunt: conualeſcens nobis ſæpiùs retulit ſummum cum refrigerio ſolatium perſenſiſſe, tum à potu frigidæ, tum à venæſectione, hanc reiterandam nobis ſuadentibus renuit: illius repetitum vſum deſideranti nogauimus. Nullus ignorat nobilem quemdam (qui

iudi

iudicio quatuor ſeniorum Medicinæ Doctorum, inflammatione inteſtinorum cum Dyſenteria detinebatur) nutu proprio iniectis clyſteribus & potu aquæ frigidæ, aut vix calefactæ cruciatus ventris immenſos placauiſſe: ſic vitam cum morte, quam in tali morbo nunquã effugere poterat, placidiùs & ſine torminibus vehemẽtioribus commutauit: vnde deſperatis Dyſentericis præ caloris vrentis acrimonia dolentibus multùm, nec minùs ſitientibus hydropoſia, vt mitigatorium remedium concedi poteſt; in aliis verò non deſperatis, etiam vt præſeruatorium, & curatiuum; ſed ſine temeritate, & cum prę-ſentia omnium ferè conditionum, quas requirunt practici ex antiquorum opinione, in exhibenda frigida laborantibus

ſynocho, vel febre ardenti.

Somnus. Somnus vigiliis vtilior, maximè cum fuerunt incraſſandi humores, ſudores mouendi, viriúmque robur reſtaurandum; de eo tamen prouocando inflammata aliqua parte abdominis interna non valdè fuimus ſolliciti, metu incendij, quod concentratus calor auget: propenſio ad ſomnum hic fuit mali moris ſignum, quia auerſione materiæ fluxus ventris vigilias inducere ſolet.

Quies. Quies tantæ fuit vtilitatis, vt qui ſtatim à morbi principio decubuerunt, nec dedignati ſunt in lecto vel intra peluim, aut ſuper lintea deiicere, morbi violentiam faciliùs ſuperarint: motus enim vires debilitat, & humores fluentes, aut fluxui paratos ad inteſtina citiùs allicit, & aëris nouo appulſu ex

peri

peripheria ad corporis centrum ſeroſi humores & acres faciliùs commeant.

Iam verò cum ipſe animus imperium habeat ſuper humores & ſpiritus, tranquillus eſſe debuit, & rerum iucundarum enarratione doloris vehementia demulceri; ipſi ægrotantes ſpe futuræ ſalutis, breuique tempore recuperandæ ſanitatis nuntio conſolandi fuerunt.

Animi pathemata.

CAPVT VII.

De curatione præcipuorum affectuum Dyſenteriam epidemicam ſubſequentium.

QVAMVIS affectus præter naturam ſequentes Dyſenteriam vel malè curatam, vel diuturnam, plurimi

fuerint, non omnium tamen ſed præcipuorum curationem proponemus, ne præſens obſeruatio rudis & indigeſta, multitudinis tædio, legenti nauſeam pariat.

Paralyſis.

Paralyſis à cedata Dyſenteria, fuit curata validè purgantibus cephalicis, cum pauco rheo, triduò alternatim mane ſumptis in bolo magis quàm potione: hydrotico ex decoctione ligni & corticis ſanct. ſalſ. parill. ſecundùm artem parato, & per viginti dies continuato: ſexta quoque die, matutinæ doſi addito puluere ſine ſcammonio, panchymagogo, ad drag. j. litu ex vnguento martiato cum petroleo, & oleo rutaceo ad ſpinã dorſi facto; & ſi tanta fuerit fluxionis malignitas, vt periculum eſſet diſſolutionis alicuius articuli, ipſum emplaſtris corroboranti

Obſeruatio.

ranti

rantibus & resoluentibus cum conuenienti subligaculo appositis confirmauimus; quod satis bene cessit cuidam ancillæ hemiplegiam sinistram post leuiorem soporem Dysenteriæ accidentem passæ; cuius bracchij sinistri acromion ex ossis scapulæ cauitate glenoide ferè excidens fasciis debitè circumuolutis fœliciter retinuit magister quidam Chirurgus: extremam tamen sanitatis periodum ab aquis sulphureis sponte scaturientibus exspectat.

Paresis.

Alia quædam paralyseos species (paresis dicenda) Dysenteriæ malè curatæ, vel suppressæ, contigit dolori iuncta: illa indolens fuit motus & sensus priuatio originem ducens ex humoris pituitosi seu seri pituitæ in neruos decubitu sine vllius aut minimę bilis mixtione: hæc

verò

verò fuit dolori iuncta & ſoboles humoris pituitoſi multa bile, vel ſanguine bilioſo aduſtionis participe perfuſi ex venoſo genere in neruos, muſculos, & articulos penitiùs, per vias patentes frequentiùs, per cæcas rariùs, vel expulſi dum ſuppreſſa aluo, vias anguſtiores factas penetrare more ſolito nõ potuit,& vaſorum expultrix irritata aliò conatum reflectens in habitum ſarcinam detruſit; vel motu præcipiti exeuntis, & exteriores partes citiſſimè ſubeuntis, dum ſcilicet victu calidiore, copioſiore & nimis attenuante humorum orgaſmus adauctus eſt; vnde in aliquibus Dyſenteria non deſinente, & aliquando quadrageſimum excurrente paralyſis iſta clamoſa contigit; vel decumbentis, dum ex cerebro aëris iniuriis citiùs

obiecto

obiecto catarhi ſalſi reliquiæ in ſubiectas & cutaneas corporis partes grauitate ſua deciderunt leuiter expreſſæ. Verùm quoniam eundem generationis modum hæc paralyſis agnoſcit, ac ea quæ colicis doloribus contingere ſolet, non propriè paralyſis, ſed pareſis nuncupanda venit. Pareſis autem varia & multiplex à nobis ſæpiùs fuit annotata: quædam enim colico dolori accidit, de qua Paulus Ægineta. Alia ſcorbutica, impotentia ſcilicet quædam ambulandi, & quaſi paralyſis ſcorbuto affectos frequẽter occupans, vnde σκελετυρβὴ à quibuſdam nuncupatur; affectus Hypocrati, Plinio, Galeno, Celſo & aliis non ignotus, vt quidam volunt; à plurimis verò neotericis fusè & exactè deſcriptus, necnon à nobis fre-

Pareſis quot.

quen

quentiſſimè obſeruatus, & curatus. Quædam Dyſenteriæ epigenomena eſt, Hypocrati cognita. Quædam verò febribus, aut cùm febre accidit, ipſi Seni etiam nota. Vnde nomine ab affectione cui ſuperuenit, vel ſuccedit deſumpto diſtinctionis gratia, pareſin in quatuor differẽtias ſecamus: colicoſam, ſcorbuticam, febrilem, & Dyſentericam: tribus prioribus omiſſis vltimam aggredimur, quærentes an ea ad paralyſim potiùs quàm ad arthritidem referenda ſit; ratione quidem motus impediti ad paralyſim, ratione doloris ad arthritidem quodammodo reduci poteſt: ab illa tamen differt, tum quia non neruos ſolos afficit, ſed etiam articulos, & plerũque vniuerſali neruorũ illeſo principio vniuerſalis accidit; tum quòd paralyſis

ralyſis indolens, hæc nunquam doloris expers : in paralyſi motus aboletur : in pareſi plerumque imminuitur : ab iſta verò diſſentit, tum quòd non in articulis modò, ſed etiam partibus muſculoſis & intermediis firmiter reſideat; tum quòd aliquando dolor articulos tantùm affligat, dum partes mouentur; & citra motũ ſenſus cuiuſdam grauitatis non multùm moleſtæ potiùs quàm pungentis, lancinantis, & diſtendentis doloris apareat : arthritidis cruciatus partium tumore miteſcit: huius verò affectionis augetur, quia non euocatione humoris ex partium externarum intimis, ſed nouæ materiæ affluxu partes intumeſcunt ; vnde cùm hoc genus ſpuriæ paralyſeos, & illegitimæ arthritidis, tum ab arthritide, tum à paralyſi plurimùm

rimùm distet, meretur tum nomen proprium habere, tum proprium genus, seu speciem constituere morbi, seu symptomatis motus & sensus; sicque describi potest: Paresis Dysenterica, est motus imminutus corporis totius, vel partium externarum cum sensu grauitatis, dependẽs à symptomatica humorum Dysenteriam malignam fouentium in habitum corporis metastasi: non autem vna nec vnius conditionis fuit, sed sæpiùs variam effigiem repræsentauit; aliquando dolor grauis medias extremorum partes occupauit sine tumore etiam articulorum, qui motu dolebant non multùm aucto dolore graui partium intermediarum: aliquando pars dolens contrahebatur, non multa existente querela de contractione, ipso tamen

Definitio.

Differentia.

tamen dolore graui ſatis premente, qui diſtentione partis contractæ leuiſſima valdè intendebatur: plurimis accidit tumor aquoſus, flatulentus, genua frequentiùs cum dolore occupans, vnà cum dolore graui tibiarum, ſimul etiam aliquando manuum: quandoque dolori extremorum circa articulos, parteſque intermedias calor & rubor iungebantur, & tunc febris continua ſub veſperam intenſiùs ſæuiens apparuit, ortumque duxit à putredine humorum intra maiora, vel minora vaſa, conceptâ: nonnunquam catarhus ſalſus in habitum corporis circa noctem effuſus ipſam produxit, vel auxit: illic verò febris nulla aut leuis, quæ ſpirituum humorumque agitationem, & phlogoſin à dolore & vigiliis pareſi huic impor-

portuniùs iunctis suscitatam sequebatur, iisque remotis, aut mitigatis disparebat. Hanc autem triplicem febris causam distinxerunt facilè, caloris febrilis acrimonia, vrinæ diuersus calor, & color, pulsus diuersitas, ipsiusque Dysenteriæ præcedentis, vel concomitantis natura & iuuantia remedia febri, eiusque causæ præscripta; & alia ex fontibus in febrium dignotione obseruare solitis repetita.

Prognosis. Difficilis, & diuturnæ curationis fuit Dysenterica paresis, in ipsis etiam articulis, post sedatum dolorem, & febrem sublatam, relinquens quandam laxitatem diutiùs durantē ob humoris reliquias, vel nouam ex articulorum debilitate congestionem: adustione humorum melancholicos valdè afflixit, dolo

dolorúmque cruciatu & contumacitate in atrophiam ſæpiùs immedicabilem deduxit.

Curationem inſtituimus diuerſam pro variis illius differentiis: epicraſtica purgatione tribus vel quatuor diebus mane alternatim inſtituta, interpoſitis alterantibus, refrigerantibus, aperientibus, & detergentibus, de nocte incraſſantibus, & ſanguinis miſſione, litu & fotu remolliente, mox reſoluente & leuiter roborante, vini abſtinentia, & tandem ſudorificorum temperatorũ vſu primam ſpeciem curauimus. Si ad conuulſionem accederet, tardior fuit ſudorificorum vſus, malacticorum externorum frequentior: vtrique ſpeciei, doloris cauſa narcotica decreuimus. In tumoribus aquoſis, flatulentis, doloroſis, validè purgantibus

Curatio.

& hydragogis cum pauco rheo in forma boli cacochymiam subducere conati fuimus, additis cardiacis pulueribus, quoniã malignæ Dysenteriæ hi affectus succedere solent; sed si alui fluxus iungeretur, cautiùs agendum fuit, & vrgentiori magis succurrendum: venæsectioni nullus hîc fuit locus, nisi feruor viscerum, ipsaque phlebotomia Dysenteriæ tempore intermissa eã suaderet, vel permitteret: inter topica vsi fuimus primò litu ex oleo rosaceo, lumbricor. cataplasmate ex mica panis, & foliis caulium rubrorum, vel aliorum, rosſ. rubr. aliquando fol. hyoscya. in lacte coctis: postea ex farinis hordei, fabarum in sapa, aut in decocto remolliẽte & resoluente coctis addito pauco oleo camom. adhibuimus etiam emplastrum ex gummi elemni

& pice

& pice alba; aut cataplaſma ex melle & caulium puluere: poſt reſolutum tumorem ad partis robur, emplaſtrum oxycroceũ vel contra rupturam: vrgente verò febre continua, frequentibus clyſteribus, rarò purgatione etiam aſtringendo leniente, & refrigerantibus, incraſſantibus iuſculis, iulepis, & narcoticis vſi ſumus, febre mitigata decoctum ſudorificorũ temperatum cum refrigerantibus mane exhibitum ſine violenta ſudoris prouocatione vſurpauimus. Quoad remedia Chirurgica, ſtatim ab initio, ipſi ano, (tumentibus vel deliteſcentibus hęmorrhoidibus) applicatę ſunt hyrudines tres vel quatuor, & extractus eſt ſanguis ad drag. vj. imò octo, & plures pro violentia febris continuæ, & ruboris, caloriſue exteriora occu-

pantis intenſione, ante venæſe-
ctionem in bracchio factam, ſi
inferiora ſuperioráque extrema
doloribus iſtis ſimul occupa-
rentur; vt ſcilicet ex hepate &
venoſo genere fluxionis fonte
deriuaretur humor, & à toto
reuelleretur ſine vllo metu agi-
tationis potiùs in hanc, quàm
illam partem dolentem com-
mouendæ: biduò, triduóue ex-
acto ſępiùs ex baſilica alterutra
ad vnc. ij. vel iij. ſucceſſiuè al-
ternis diebus ſanguis commo-
diſſimè eductus eſt; ſolis verò
articulis & partibus inferiori-
bus, vel ſolis ſuperioribus (quòd
rariùs contigit) laborantibus
præceſſit hirudinum ano appli-
cationem ſanguinis miſſio, tu-
ſa baſilica dextra, vel alterutra
ſaphæna: non denegatæ fuerunt
cucurbitulæ cruentæ. Quòd ſi
fluxio ex cerebto febrem foue-
ret,

ret, vel augeret, ad ea conuersi sumus, quæ cerebrum deplere ars nostra docuit, non neglecta hirudinum applicatione, quoniam prima fluxionis illius caussa feruori viscerum accepta referri plerumque debuit: vnde in fluxione etiam in pectus pituitosa, vel mixta, potiùs conferunt cholagoga quàm phlegmagoga: in melancholicis & ad marasmum vergentibus mens erat balneorum tepidorum, & hypacaustorum humidorum, seu vaporosorum vim & vtilitatem suo tempore experiri: suffuratum tamen est occasionem anni tempus, & eorum in nosocomio defectus, & ægrotantium multitudo famulantes satis supérque occupans: non dubito posse prodesse, cùm ex decreto collegæ cuiusdam nostri docti, eloquentis & ex-

 perti

perti cuidam mulieri Lugdunensi doloribus huic paresi valdè analogis correptæ, multùm contulisse experti fuerimus: Horum loco præscripsimus fotus remollientes, resoluentes, & leuiter corroborantes, cuius naturæ fuit sequens; ℞. *fol.maluæ m. ij. fol.tapsi barbati, caulium rubrorum, si fieri poßit an. m.j.folio. camædryos, vel camæpyt. vel ebuli m.sem. flor.rosf.rubr.camomel. an.p. ij. florum tapsi barbati p. j. coq. in aq.com.q.s. pro fotu*:ex cuius residentia in lacte ad putrilaginem cocta paratum fuit cataplasma à fotu applicandum: alia etiam topica pro doloris, calorisque indigentia applicuimus. Ad reliquias tandem huius affectus dissipandas nos sæpiùs fuimus vsi magnis antidotis cum conseruis cephalicis:senior quidam multæ experientiæ Medicus, &

Dysen

Dyſenteriã anno Domini 1696. paſſus laudat vſum opiatæ cuiuſdam antipodagricæ, quam Geſnero plurimi attribuunt: & hæc ſummatim in præſentiâ dicta ſufficiant de tam inſolenti affectu, qui ad ſui explicationem vnà cum colicoſa, & febrili ſpuria paralyſi integrum tractatum deſiderat, non minùs quàm ſceletyrbe.

Febris. Febres tertianas duplices intermittentes Dyſenteriam citiùs ſuppreſſam breuioris temporis ſpatio ſubſequentes ſatis frequenter obſeruauimus, & viginti ferè dierum ſpatio, purgantibus alterantibus, venæſectione curauimus. Febris verò continua doloribus etiam præfatis. minimè iuncta curationis fuit difficilis, & maximè ſi fuerit ſingultuoſa. Vnicus à Dyſenteria quindecim diebus hi-

Quartana. ſtoriam ſuam perficiente correptus fuit quartana trimeſtri, diſparuit vltimi Decembris fine, ſolius theriaces vſu, & diæta, ſed remanſit dolor lumborum ſiniſtram potiſſimùm partem occupans, nulla euidenti ad tactum hypochondrij ſiniſtri emphraxi, cuius importunitate preſſus circa vigeſimum Ianuarij vltimi nos conſuluit, nec ſine fructu : ſumpta enim potione ex vnc. ſem. elect. de citro ſolut. cum ſenna parati; & vnc. iiij. apozem. purgant. refriger. aperient. mane per quatriduum diebus alternis repetita; & poſtridie primæ purgationis ſanguine miſſo ex baſilica ſiniſtra, & poſtridie vltimæ purgationis ano hyrudinum applicatione, litúque lumborum ex oleo rutaceo & camomelino conualuit.

Surditatis, ophthalmiæ, colli inflexibilitatis, & veluti tetano affecti, lienteriæ, aliorumque affectuum ſuperuenientium, aut ſubſequentium curationem pro eorum exigentia & viribus noſtris exactiorem inſtituimus.

Coronidis loco de purulentis excretis aliquid dicamus. Principio Februarij vltimi viſitauimus ſexagenarium à quattuor menſibus Dyſenteria correptum, quem cum iſchiadico dolore ſiniſtro, & excretis purulentis inuenimus; tum Medici, tum chirurgiæ magiſtri in conſilium vocati, communi conſenſu liquidum & fœtidum pus iudicatum eſt: dolor iſchiadicus caſu circa feſtos dies Natiuitatis Domini, accidit, & neglectus fluxione pituitæ in partẽ iſchij ſiniſtram concitata auctus eſt:

De excret. purulentis obſeruatio.

quare vt vtrique cõsuleremus, primò, mane assumpsit bolum sequentem. ℞. *Ialap. puluer. scr. ij. rhei electi puluerati drag. j. cum infusione ros. pall. fiat bolus* : quo sumpto euomuit bis pituitosa in satis magna quantitate, & deiecit octies : eadem die tribus horis à cæna sumpsit pilulas sequentes; ℞. *pilul. de cynoglosso gr. v. theriac. recent. scr. j. fiant pilul. ij.* triduò post applicatum est ischio emplastrum sequens. ℞. *Gummi elemni vnc. j. gummi caragne vnc. ij. picis alb. vnc. iiij. therebent. venetæ modicum, fiat empla. cum alut. debit. figur. & magnitud. applicandum parti dolent.* sed quoniam perseuerabat eorundem excretorum deiectio, clyst. talis iniectus est ; ℞. *Decoctio. fol. absynthij, rad. aristol. rotund. centaurij minoris, hordei furfuris macri in aqua calybeat. paratæ vnc. viij.*

Remedia.

viij. thereb.venetæ oui vitello solutæ drag.vj.sacchari rubri.vnc.j.fiat clyster. deiecit.ter;in secunda deiectione multùm pus subalbum, liquidum, nonnihil graueolens cũ leuissimo acrimoniæ sensu excretum est,ideò postridie iterum iniectus est, à quo meliùs habuit; persistunt tamen eædem deiectiones, quibus parùm diuexatus remediorum aliorum aliis vtilium vsum neglexit, & vsque ad finem Februarij intermisit; mane enim in bolo dare soliti fuimus flores sulphuris cum saccharo rosato & pauca confect. alchermes per aliquot dies: dein pilulas in sequentem modum. ℞.*pulu.aromat. rosat. drag. j. sem. rhei electi puluer. scrup.iiij. puluer. diarrhod. abbatis, vel diatriasant.drag.j.cum syru.de cichorio compositi cum rheo & de absynthio fiat opiata.* dosis

 scr.

ſcrup. quat. mane ante omnem cibum per plures dies. Aliquando detracto puluere diatriaſan. addidimus aliquid mirrhæ, rad. ariſtol. rotund. calybis reuerb. vel ſalis eiuſdem : conſuluimus ſæpiùs vſum decocti ſudorifici adſtringentis & vulnerarij, non tantùm ad purulentas excretiones, ſed etiam ad ſiſtendas diarheas vel lienterias importunas: ℞. *rad. rub. tinctorum vnc. j. rad. pentaphylli, tormentillæ graminis an. vnc. ſem. fol. vinc. peruinc. vel camæd. m. j. Garyophill. par. vj. ſalſæ parillæ, ſi fuit aluus mouenda, vel ligni ſancti, ſi magis exſiccandum, vel rad. chinæ, ſi calor aut macies vrgeret vnc. iij. ligni ſalſafras vnc. j. ſem. aq. com. calyb. libr. vj.* infunde & decoq. vt artis eſt ad medias: de colat. doſis vnc. iiij. vel vj. addendo drag. j. ſucci accaciæ cum magis aſtringendum fuit.

fuit. Relatione cuiusdam Lugdunensis in chirurgia magistri scimus repertam fuisse vnam aut alteram libram materiæ illius purulentæ (cuius causas, cum de prognosi, succinctè attigimus) in recto intestino cadaueris puelli cuiusdam Lugdun. cum eius diaphthora cæteris illæsis intestinis : tam sæua solet esse & decipiens popularis Dysenteria, cuius tyrannide ne denuò opprimamur, Deus optimus maximus precibus publicis placandus est, in cuius laudem & Deiparæ honorem hæc obseruata sint.

Cadaueris apertio.

FINIS.

INDEX RERVM ET MATERIARVM,

quæ in toto opere continentur.

A

à Bile

B

C

D

ex

Mili

The

FINIS.

INDEX CAPITUM.

Conſenſus

Consensus Procuratoris Regij.

LIbrum, cui inscriptio est, Obseruatio Dysenterici fluxus Lugduni Gallorum populariter grassantis, &c. auctore IOANNE DE LAMONIERE Medico Doctore typis mandari ac in lucem exponi ego Consiliarius & Procurator Regius in Præfectura Lugdunensi consentio. Die 10. Maij 1626.

PVGED.

PERMISSIO.

LIbrum hunc qui inscribitur Fluxus Dysẽterici Obseruatio, &c. authore IOANNE

DE

DE LAMONIERE Doctore Medico Lugdun. à Bartholomæo Vincentio Bibliopola Lugdun. typis mandari permittimus, ac ne quis citra factam ei potestatem denuò excudat interdicimus. Datum Lugduni die 11. mensis Maij 1626.

DECHAPONAY.

K

Mag. Ym